COLLECTION

DE

DOCUMENTS INÉDITS

SUR L'HISTOIRE DE FRANCE

PUBLIÉS

PAR ORDRE DU GOUVERNEMENT

ET PAR LES SOINS

DU MINISTRE DE L'INSTRUCTION PUBLIQUE

PREMIÈRE SÉRIE

HISTOIRE POLITIQUE

COLLECTION

DES

CARTULAIRES DE FRANCE

TOME VII

CARTULAIRE DE L'ÉGLISE NOTRE-DAME DE PARIS

PUBLIÉ

PAR M. GUÉRARD
MEMBRE DE L'INSTITUT DE FRANCE

AVEC LA COLLABORATION DE MM. GÉRAUD, MARION ET DELOYE.

TOME IV

A PARIS

DE L'IMPRIMERIE DE CRAPELET

M DCCC L

ECCLESIÆ PARISIENSIS CHARTULARIUM

OBITUARIUM

ECCLESIÆ PARISIENSIS

OBITUARIUM

ECCLESIÆ PARISIENSIS.

I.

KAL. JANUARII. Eodem die, obiit Richerus, Senonensis archiepi- 1 jan. 1097.
scopus [1].

II.

IV NON. JANUARII. Eodem die, anniversarium primum domini Petri 2 jan.
de Ordeo Monte, pro anima patris sui et omnibus amicis suis deffunctis.

Obiit Guillelmus, archidiaconus Brye.

III.

III NON. JANUARII. Eodem die, obiit magister Barrerii, canonicus Pari- 3 jan.
siensis et secretarius domini regis.

IV.

Johannes, dux Burgundiæ et comes Flandriæ, largitur capitulo Parisiensi ducentas 24 sept. 1410.
libras Turonenses perpetui redditus, in recepta regia Meldensi annuatim habendas; e quibus assignantur viginti libræ ad celebrandum anniversarium Johannis Durandi, canonici Parisiensis, qui ecclesiæ Beatæ Mariæ quingenta scuta aurea dono dederat.

.... Datum in capitulo nostro predicto, die vicesima quarta mensis septembris, anno Domini millesimo quadringentesimo decimo.

V.

II NON. JANUARII. De domo Sancte Marie, obiit Poncius levita, qui dedit 4 jan.
nobis domum in claustro et duos arpennos vinearum apud Orliacum.

Ipso die, de domo Sancte Marie, obiit magister Reimundus de Figiaco,

[1] In *Gall. Christ.* (t. XII, col. 41) mors Richeri ad diem 27 decembris 1096 refertur.

subdiaconus et concanonicus noster, cujus anniversarium in ecclesia nostra singulis annis fieri concessimus. Qui dedit nobis vineas suas quas habebat apud Montem Lethericum, in territorio quod vocatur Luisant, que vendite fuerunt pro triginta quinque libris Parisiensibus, et sexaginta libras Turonenses, ad emendos redditus. De qua pecunie summa emimus apud Bonolium, in terra nostra, quatuordecim arpenta et dimidium terre arabilis.

De domo Sancte Marie, obiit Guido de Gastina, canonicus Parisiensis, subdiaconus, et Gauffridus, frater suus, qui dederunt nobis quaterviginti et duas libras Parisiensium, ad opus anniversariorum. De qua pecunia emimus quinque arpenta pratorum, apud Compensum, a Johanne de Compenso, armigero, et domicella Johanna, ejus uxore. Que prata tenebant dicti armiger et ejus uxor a capitulo Parisiensi, in feodo, sita in pracria molendini dicti de Ouacre, contigua, ex una parte, riparie de Compenso, et, ex alia parte, saltibus dictis de Condeto, et, ex alia parte, pascuis de Alneto, et, ex alia parte, aliis tribus arpentis residuis de dictis octo arpentis, et, ex alia parte, orto deffuncti Guiardi de Condeto. Capitulum vero, non immemor collati beneficii, voluit et concessit quod omnes proventus dictorum pratorum, qui valent modo circiter octo libras, distribuantur singulis annis.

VI.

Hic debet celebrari missa in honore Beate Marie, quandiu vixerit reverendus pater Gaufridus de Barro, tituli Sancte Susanne presbiter cardinalis et decanus Parisiensis. Post decessum vero ipsius, cessabit celebratio dicte misse, et fiet anniversarium pro remedio anime ejus. Idem vero Gaufridus dedit nobis medietatem cujusdam molendini, quod ex proprio conquestu habebat apud Suciacum, quod molendinum vocatur Toueillum, in censiva capituli Parisiensis.

VII.

5 jan. 1288. NON. JANUARII. De domo Sancte Marie, obiit magister Robertus de Bercencuria, quondam decanus Baiocensis, qui, ob remedium anime sue, dedit ecclesie Parisiensi viginti et septem cum dimidio arpenta terre

arabilis [1], sita in diversis peciis, apud Civilliacum, in censiva capituli Parisiensis, ad censum qui dicitur census quartarum; et voluit quod anniversarium fieret pro anima sua, singulis annis, in ecclesia Parisiensi.

VIII.

VIII ID. JANUARII. De domo Sancte Marie, obierunt Petrus et Fulcolus; et eodem die obiit Rainaldus [2], Trescassinus episcopus. 6 jan. circa 1121.

De domo Sancte Marie, obiit dominus Hugo Paste, hujus venerabilis ecclesie canonicus sacerdos, qui, pro fundatione sui obitus, dedit nobis suam domum de novo constructam, sitam in vico Sancte Marine, ante domum du Gantelet, contiguam ac tenentem, ex una parte, ecclesie Sancti Petri ad Boves.

Item, dictus Paste dedit pueris chori prefate ecclesie Parisiensis suam parvam domum, sitam in dicto vico Sancte Marine, contiguam domui curati dicte Sancte Marine, ad onus dicendi per prefatos pueros chori, quolibet die dominico, post matutinas, supra tumbam ipsius Paste, psalmum *De profundis*, in fine *Requiem eternam* cum versiculis consuetis et orationibus *Inclina*, etc., *Deus qui inter apostolicos sacerdotes*, etc., et *Fidelium*.

IX.

Missa de Sancto Spiritu fundata per magistrum Johannem Hue, sacerdotem, canonicum parisiensem, a quo recepimus quingenta scuta auri.

X.

VII ID. JANUARII. De domo Sancte Marie, obiit Hugo Clemens, decanus noster et sacerdos, per cujus sollicitudinem et prudentiam ecclesia nostra, tam in spiritualibus quam in temporalibus, plurima incrementa recepit. Ad ejus enim consilium et preces, communi assensu capituli, ordinatum est et statutum sollempne illud mandatum quadragesime, in quo, singulis diebus a secunda feria post *Invocavit me* usque ad quintam feriam in cena Domini, solis diebus dominicis exceptis, a ministris altaris, videlicet sacerdote, diacono et subdiacono, 7 jan. 1217.

[1] Hujus donationis mentionem invenies in *Gall. Christ.*, t. XI, col. 400.

[2] Rainaldus II de Monte Letherico.

in refectorio abluuntur pedes tredecim pauperum, et singulis eorum necnon et eisdem ministris altaris cotidie quatuor denarii distribuuntur; unicuique puerorum unus denarius, et utrique duorum servientium qui aquam preparant pedibus abluendis unus denarius. Procuravit etiam salubriter et devote quod festum beati Johannis Evangeliste, post nativitatem Domini, quod prius negligenter et jocu-lariter agebatur, sollempniter et devote celebraretur in ecclesia nostra, in quo singuli clerici chori nostri, qui eisdem matutinis intererunt, tres denarios percipient, et quilibet clericorum, qui ad missam responsorium vel alleluia in organo triplo seu quadruplo decantabit, sex denarios habebit. Instituit etiam duo anniversaria in ecclesia nostra, pro patre et matre, in quibus distributiones fiunt, sicut in hoc eodem volumine plenius alibi continetur. Et, ad hec omnia facienda, de suo proprio ecclesie nostre misericorditer assignavit et contulit quitquit emit in parocchia Liricanti, tam in hospitibus quam in aliis, a Bertranno et Regina, uxore sua. Dedit etiam tres arpennos et dimidium vinearum, quas plantari fecerat in terra quam acquisivit apud Hulmeiam, et torcular situm in eisdem vineis cum pressura vinearum, que sunt in censiva Beate Marie; pedaticum etiam et rotaticum ipsius loci, et censum et venditiones pratorum, que ibidem similiter acquisivit. Dedit preterea campipartem terre et hospites et censivam, que ipse et Odo, archidiaconus, frater ipsius, emerant a Gachone de Bordellis et heredibus ejus. Ad hec etiam dedit et concessit, de voluntate et assensu capituli, quitquit emit apud Spedonam, in terra beate Marie, a Radulfo Brotesalz et heredibus suis, tam in vino quam in blado, censu, caponibus et aliis. Instituit quoque anniversarium fratrum suorum, videlicet Roberti et Henrici, marescalli; et redditus assignavit in haalis Liricanti, quos, singulis annis, persolvet in eodem anniversario quicumque fuerit prepositus Liricanti. Dedit etiam nobis unam casulam cum dalmatica et tunica et duabus albis paratis, et unam capam sericam. Preterea, ad incrementum vini quadragesimalis, nobis quadraginta libras, et, ad ampliandos redditus clericorum matutinalium, alias quadraginta libras misericorditer contulit. Adhuc etiam, tam apud Liricantum quam in claustro nostro, de suo edificia magna et sumptuosa construxit. Cujus etiam anniversarium capitulum

instituit in ecclesia nostra celebrari hoc modo : Quod, ad quemcumque vel quoscumque domus quas habuit de claustro Parisiensi, videlicet domus site juxta domum que dicitur antiquo nomine Aquileia, quas magno sumptu reparari fecit, post ipsum devenerint, canonicis et majori altari servientibus et matriculariis sacerdotibus, qui eidem anniversario intererunt, sex denarios in vigilia et sex denarios in missa, et matriculariis laicis duodecim denarios persolvent; aliis vero clericis de choro tres denarios, in missa tantum, pauperibus domus Dei Parisiensis, in die ejusdem anniversarii, decem solidos, ad refectionem eorum [1].

XI.

VI ID. JANUARII. Eodem die, obiit Theobaldus, Parisiensis episcopus, qui dedit nobis duas stationes quatuor ferculorum, quarum una redditur ab episcopo in nativitate beate Marie, altera in die obitus ejusdem, de decima que est apud Guiencort, in qua pares sunt nobis canonici Sancti Dyonisii. Dedit etiam nobis duo pallia et duo tapetia, unum triginta librarum, et capellam, hoc est duas casulas et albam paratam et tunicam et dalmaticam cum sandaliis, et calicem argenteum deauratum, et duo candelabra argentea, et duo vasa altaris, unum argenteum, aliud argento ornatum, et duas domos super Secanam, quas tenuerunt Bartholomeus et Boso, nepotes sui. Dedit etiam tres libros, duos passionales et unum qui dicitur Martinellus. Fecit et aliud sollempni dignum memoria. Cum enim de consuetudine prava, usitata tamen, rex, episcopo sedem derelinquente, domos episcopi rebus in eis inventis spoliaret, talliam etiam in terra episcopi pro sua voluntate faceret, nacta oportunitate, cum pius rex Ludovicus Jerosolimam proficisceretur, idem episcopus, precibus fusis et data pecunia, impetravit ab eo, ut de cetero rex in domibus episcopi nichil omnino capiat, in ferro vel ligno, vel aliquibus utensilibus domuum vel ornamentis; in terra etiam episcopi, tallia sexaginta libras excedere non possit [2]. Preterea, ex institutione Bartholomei, cancellarii Carnotensis, et voluntate capituli nostri, statutum est ut singulis annis, in die anniversarii ejusdem Theobaldi, triginta solidi

8 jan 1157.

[1] Edit. in *Gall. Christ.*, t. VII, col. 201.

[2] Ludovici VII diplomata de hoc duplice privilegio vide supra, t. I, p. 36, cap. XXII, et p. 37, cap. XXIII; et *Hist. Eccles. Paris.*, t. II, p. 103.

distribuantur canonicis et majori altari servientibus, qui vigiliis et qui misse intererunt, quos annuatim reddet quicumque tenebit redditus prepositure Vernoti[1], de decima quam retraxit idem Bartholomeus a sacerdote de Vernoto. De his autem denariis nichil percipient matricularii[1].

Eodem die, obiit magister Guillelmus de Lumbris, canonicus, dyaconus et doctor in theologia; pro quo habuimus octoviginti francos, ex venditione domus sue claustralis, ad emendos redditus, pro anniversario suo faciendo.

XII.

9 jan. circa 995. V ID. JANUARII. De domo Sancte Marie, obierunt Hilarius decanus et Robertus sacerdos, qui dedit nobis domum in claustro, ad stationem quatuor ferculorum[2], et tres arpennos vinearum apud Balneolum, et unum apud Ivri, et apud Sanctum Marcellum unum, dimidium in Petrosa et dimidium in Aioto.

Eodem die, obiit dominus Bartholomeus de Roia, miles, qui dedit nobis quadraginta libras Parisienses.

XIII.

10 jan. IIII ID. JANUARII. Eodem die, obiit domina Luca, que dedit nobis viginti libras Parisiensis monete, ad stationem quatuor ferculorum. Statutum autem est a capitulo canonicos Sancti Dyonisii de Passu nobiscum hujus stationis participes fieri.

Ipso die, de domo Sancte Marie, obiit Johannes, nepos Mauricii episcopi, concanonicus noster, qui dedit nobis, apud Ivriacum, quinque hostisias, in Monte Mirabili sitas; quas homines ejusdem ville tenent ad censum quadraginta solidorum, in festo sancti Dyonisii, annis singulis reddendorum.

XIV.

11 jan. III ID. JANUARII. De domo Sancte Marie, obiit magister Guimundus, Carnotensis, concanonicus noster, qui dedit nobis, ad opus anniversarii

[1] De hac assignatione, vide supra, t. II, cap. XLIII, p. 236, et p. 314, cap. v.

[2] Caput istud editum est, sed mendis et lacunis plenum, in *Gall. Christ.*, t. VII, col. 67, et in *Hist. Eccles. Paris.*, t. II, p. 118.

[3] Edit. in *Gall. Christ.*, t. VII, col. 192.

sui, in ecclesia nostra, singulis annis faciendi, tres arpennos et unum quarterium vinearum, sitarum in territorio quod vocatur Pulcher Campus, in clauso Agnetis la Courtaise, juxta pressorarium Sancti Lazari.... Insuper dedit nobis quandam bibliotecam bonam et pulcherrimam, valentem triginta libras Parisiensium et plus, et duos baldequinos pulcherrimos et deauratos.

Eodem die, obiit Thomas de Lugniis, presbiter et canonicus Sancti Johannis Rotondi, qui dedit nobis duo arpenta et unum quarterium pratorum, sita in praeria de Gentilliaco in tribus petiis; que tenebat in feodo a magistro Matheo de Sancto Dyonisio, clerico; que emit a Gila dicta Merceria, amortizata a rege.

Eodem die, videlicet tercio idus januarii, obiit magister Johannes Picardi, subdiaconus, canonicus Parisiensis, qui legavit nobis in testamento suo decem libras annui et perpetui redditus.... Anno Domini Apr. 1402
millesimo quadringentesimo secundo, mense aprili.

Eodem die, obiit Johannes Besarti, canonicus, sacerdos et cantor Belvacensis; pro quo habemus octo libras suppra majoriam de Roseto in Brya.

XV.

II ID. JANUARII. Notum facimus quod, cum nos viro venerabili et discreto magistro Johanni de Blesis, quondam preposito Sancti Audomari, concanonico nostro, domum nostram de Rungiaco concesserimus ad firmam, et idem magister in eodem loco sumptuosa edificia construxerit, in hiis et in aliis locum predictum plurimum emendando, nos.... eidem Johanni pia liberalitate concessimus quod quolibet anno, quamdiu vivet, proxima die qua fieri poterit post epiphaniam Domini, dum tamen non sit dies sabbati, missam pro ipso de beata Virgine sollempniter in ecclesia nostra, ad magnum altare celebrabimus.... Post mortem vero dicti magistri Johannis, eadem die, anniversarium ejus, annis singulis, in posterum faciemus, *etc.*... 12 jan. circa 1260

Eodem die, obiit Almaurricus de Credonio, canonicus dyaconus; pro quo habuimus VI^xx xxxv francos XIIII solidos v denarios, ex venditione domus sue claustralis, *etc.*

XVI.

13 jan. circa 1275. ID. JANUARII. De domo Sancte Marie, obiit magister Philipus de Bretigniaco, qui, ob remedium anime sue, dedit et concessit ecclesie et capitulo Parisiensi septemdecim arpenta cum dimidio terre arabilis, et decem et octo solidos annui census, percipiendos annuatim super tribus masuris cum pertinenciis earundem. Que tres masure cum pertinenciis rachetum seu relevamen debent, quociens possessorem mutant. Et hec omnia sita sunt in parrochia et in territorio de Baleinvilierz. Dedit eciam idem Philipus duo feoda, quorum unum tenet seu tenere debet Philipus de Condreyo, miles; in quo feodo sunt viginti unus solidi et octo denarii annui census, et decem et septem arpenta terre arabilis vel circiter. Aliud autem feodum tenent heredes deffuncti Anselli de Baleinvilier, militis; in quo sunt quatuordecim arpenta terre arabilis, et decem et octo solidi annui census vel circiter. Et hec omnia sita sunt in territorio de Baleinvilier.

1347 Anno Domini M CCC XLVII, obiit magister Gillebertus de Turre, canonicus Parisiensis; pro quo habemus X libras X solidos redditus, super territorio de Villa Ruscha.

XVII.

14 jan. circa 1270. XIX KAL. FEBRUARII. Eodem die, obiit magister Lucas de Gyf, canonicus Parisiensis; pro cujus anima dederunt executores dicti Luce Deo et Beate Marie Parisiensi decem libras annui redditus, solvendas singulis annis, Parisius, in crastino natalis Domini, assignatas super diversas possessiones, sitas apud Orliacum et in territorio ejusdem ville.... Preterea dederunt predicti executores, pro anima predicti Luce, decem libras annui redditus vel circiter, capiendas singulis annis, apud Balneolum, in diversis redditibus; quas emerunt dicti executores, pro anima dicti defuncti, a domina Santissima, domina de Vanmoise et de Plesseio de Rameleu, relicta Johannis Basin ... Preterea dederunt dicti exequtores, pro anima dicti magistri Luce, dictis decano et capitulo, ad incrementum matutinarum, quatuor sextaria avene annui redditus, capienda annis singulis ad tassamentum de Castellione; que emerunt a Johanne de Yssiaco, armigero, et domicella Matilde, ejus uxore.

XVIII.

XVIII KAL. FEBRUARII. De domo Sancte Marie, obiit Herlouinus, canonicus et levita, qui dedit nobis duas domos sub claustro nostro; que postmodum copulate fuerunt domibus Bernerii de Monleheri; quas postea tenuit Suggerius canonicus; et centum solidos, quos in morte sua possessor domuum nobis erat redditurus. Quos postea, ad emendationem earumdem domuum, concessimus dicto Suggerio, tunc domuum possessori, et eum et successores domuum a predictorum centum solidorum solutione absolvimus. Preterea idem Herlouinus dedit duos arpennos vinearum, apud Autolium, ad stationem, in die anniversarii, quatuor ferculorum. 15 jan.

Ipso die, de domo Sancte Marie, obiit Guillelmus de Annuello, diaconus; qui dedit nobis quadraginta libras Parisienses, ad emendos redditus, implicatas in emptione decime de Viriaco.

Eodem die, obiit magister Petrus Seinguoreti, canonicus, sacerdos Parisiensis; pro quo habuimus IIII^xx francos, ex venditione domus sue claustralis.

XIX.

XVII KAL. FEBRUARII. De domo Sancte Marie, obiit Adam, precentor; qui dedit nobis, ad domum magistri Durandi, quatuor arpenuos terre, apud Ivri, et unum arpennum vinee, apud Balneolum, duos arpennos vinee et unum quarterium, et quatuor libras Pruvinensium monete, ad stationem quatuor ferculorum; quas, in morte sua, possessor domus redditurus est. 16 jan. circa 1140.

Eodem die, de domo Sancte Marie, obiit Galerannus subdiaconus.

Item, ipso die, obiit Suggerius, abbas Beati Dyonisii; pro cujus anima, Guillelmus, nepos ejus, concanonicus noster, dedit nobis sexaginta libras Parisiensium[1]; que posite fuerunt in emptione tensamenti de Orliaco. 1152.

XX.

XVI KAL. FEBRUARII. De domo Sancte Marie, obiit Hermenrius, sacerdos. 17 jan.

[1] Hic locus edit. in *Gall. Christ.*, t. VII, col. 377

Eodem die, obiit Girardus Chotart, qui, pro anima sua et filii sui Balduini, concanonici nostri, dedit nobis domum juxta claustrum sitam, ad stationem quatuor ferculorum. Quorum anniversarium eodem die fieri debet. Cujus stationis participes nobiscum canonicos Sancti Dyonisii de Passu esse voluit.

1215 Item, obiit Johannes, abbas Latiniacensis; pro cujus anima et sua, Petrus de Latiniaco, concanonicus noster, dedit nobis quadraginta libras Parisiensium, positas in emptione molendini de Vernoto.

XXI.

18 jan. XV KAL. FEBRUARII. De domo Sancte Marie, obiit Godefridus puer.

Eodem die, Helisabeth vitam liquit, comitissa, caducam.

Eodem die, obiit Garnerus, canonicus Sancti Marcelli; qui dedit nobis XXV libras Parisiensis monete, ad stationem quatuor ferculorum faciendam.

Item, de domo Sancte Marie, obiit Clemens, canonicus et quondam officialis Parisiensis; pro cujus anniversario in ecclesia nostra faciendo, habemus quatuor libras Parisiensium, singulis annis percipiendas, quatuor terminis Parisius consuetis, super quinque domibus Gilonis le Charron invicem contiguis, sitis Parisius, in cuneo vici Radulfi Ressolle, versus portam per quam itur apud Montem Martirum, inter domum Rogeri de Bastpalmis, a parte Montis Martirum, et domum Radulfi Ressolle, in terra episcopi Parisiensis, concessas in manu mortua ab eodem.

1308. XV° kal. februarii, obiit bone memorie dominus P.[1] de Bella Pertica, Autisiodorensis episcopus et dudum Parisiensis decanus[2].

XXII.

19 jan. circa 1200. XIIII KAL. FEBRUARII. De domo Sancte Marie, obiit magister Johannes de Porta, archidiaconus ecclesie Parisiensis et sacerdos, qui dedit nobis, ad opus anniversarii sui, sexaginta libras Parisiensium.

1403. Eodem die, obiit reverendus in Christo pater dominus Johannes

[1] Petrus II.

[2] In *Gall. Christ.* (t. XII, col. 313) mors ejusdem Petri ad diem superiorem, id est XVI kal. jan. refertur.

Tabary, quondam episcopus Morinensis et prius canonicus hujus ecclesie [1].

XXIII.

XIII KAL. FEBRUARII. De domo Sancte Marie, obiit Stephanus [2], Bituricensis archiepiscopus; pro cujus anima, Galterus, frater ejus, regis camerarius, dedit nobis triginta quinque libras Parisienses, ad stationem quatuor ferculorum; de qua Philippus, archidiaconus, nepos eorum, assensu tocius capituli, canonicos Sancti Dyonisii de Passu canonicis Sancte Marie pares in hoc esse instituit. 20 jan. 1174.

Eodem die, de domo Sancte Marie, obiit Hugo Navariensis, subdiaconus, qui dedit nobis sexaginta libras, ad emendum quatuor modios avene et dimidium de tensamento apud Civilli et Villam Judeam et Fontanetum.

XXIV.

XII KAL. FEBRUARII. De domo Sancte Marie, obiit Ernaldus, sacerdos, qui dedit nobis domum in claustro, ad stacionem quatuor ferculorum, et octo arpennos vinearum, in monte Sancte Genovefe, et torcular; qui devenerunt ad vinum quadragesime. 21 jan.

Ipso die, de domo Sancte Marie, obiit magister Droco de Faveriis; cujus anniversarium anniversariumque Henrici de Faveriis, quondam militis, et Richaudis, uxoris sue, dicti magistri parentum, insimul fieri capitulum concessit.

XXV.

XI KAL. FEBRUARII. Eodem die, debet fieri unum de anniversariis Raimondi de Claro Monte, canonici Parisiensis. 22 jan. circa 1260.

XXVI.

X KAL. FEBRUARII. De domo Sancte Marie, obiit Lisiernus, archidiaconus. 23 jan.

XXVII.

VIII KAL. FEBRUARII. Eodem die, obiit Haildis Dives; pro cujus anima et Hugonis, sui mariti, ipsa dedit nobis viginti libras Parisiensis 25 jan.

[1] De quo mentio in *Gall. Christ.*, t. X, col. 1563. [2] Stephanus II de Capella.

monete, ad stationem quatuor ferculorum. Dedit etiam, annuentibus filiis suis Ansello et Federico, hospitali Sancte Marie sextarium frumenti, in molendino Gentilliaci.... Insuper prefata Haildis Sancte Marie dedit tapetum salacianum et duo mantilia cum bordis.

Ipso die, de domo Sancte Marie, obiit Herbertus, sacerdos et gramaticus. Obierunt etiam Ademarus subdiaconus et Benedictus acolitus; quorum avunculus magister Petrus, cancellarius Parisiensis, pro remedio anime sue et eorum, dedit nobis centum libras Parisiensis monete.

Item, faciendum est anniversarium Guillermi dicti Guilleri, quondam archidiaconi Parisiensis.

XXVIII.

26 jan. 1301. VII KAL. FEBRUARII. Anno Domini M CCC primo, de domo Sancte Marie, obiit bone memorie magister Nicholaus de Pressorio, doctor in theologia, concanonicus noster; qui dedit nobis in testamento suo, pro anniversario ejusdem, in nostra ecclesia, quolibet anno faciendo, centum libras Parisienses cum uno arpento prati, de conquestu suo, apud Bures. Quod pratum vendidimus triginta sex libras Parisienses; de qua peccunie summa capitulum Parisiense emit a Johanne dicto de Beche Tele, armigero, et Agnete, ejus uxore, ea que sequntur, *etc.*

XXIX.

27 jan. VI KAL. FEBRUARII. Missa de Sancto Spiritu pro Guillelmo Cardonnelli, archidiacono de Josaio, super recepta Meldensi; pro qua habuimus quingenta scuta auri.

XXX.

29 jan. IIII KAL. FEBRUARII. De domo Sancte Marie, obiit Jocelinus.

De domo Sancte Marie, obiit Johannes Hector, canonicus Parisiensis.

XXXI.

30 jan. III KAL. JANUARII. Eodem die, obiit magister Stephanus de Nemosio, canonicus sacerdos; pro quo habuimus, ex venditione domus sue claustralis, LXXIIII francos XII solidos.

Anno Domini M CCCC octuagesimo, XXX mensis januarii, de domo Beate Marie, obiit dominus Johannes Le Sellier, dum viveret canonicus hujus ecclesie ac archidiaconus Brie. 1480.

XXXII.

II KAL. FEBRUARII. De domo Sancte Marie, obiit Lambertus subdiaconus. 31 jan.

Eodem die, obiit dominus Symon de Lantagiis, vicarius Sancti Mauri; pro quo solebamus percipere, super terram de Brioz, XXXVIII solidos.

XXXIII.

KAL. FEBRUARII. Eodem die, debet fieri anniversarium pro Karolo, rege quinto; super redditibus de Ultrabasis et de Aubergenvilla XIIII libras. 1 febr. 1380.

XXXIV.

IIII NON. FEBRUARII. Anno Domini M CCCC octuagesimo tercio, die secunda mensis februarii, de domo Beate Marie, obiit venerabilis et circumspectus vir magister Johannes Henrici, cantor et canonicus Parisiensis, qui dedit nobis, ad opus anniversariorum, pro fundacione sui anniversarii, trecentum et viginti scuta auri. Quam quidem sommam habuimus et recepimus per manus venerabilis et discreti viri magistri Petri Henrici, succentoris et canonici Parisiensis, ejusdem magistri Johannis Henrici fratris. Pro quo assignavimus sexdecim libras Parisienses, quolibet anno, perpetue, super officium anniversariorum capiendas et in dicto anniversario manualiter distribuendas. Fietque similis pulsacio et cetera, ad instar videlicet anniversarii magistri Jacobi de Partibus. 2 febr. 1483.

XXXV.

III NON. FEBRUARII. De domo Sancte Marie, obiit dominus Johannes de Monciaco, subdiaconus; cujus anniversarium concessimus fieri in capitulo generali, in crastino beati Johannis Baptiste. Eodem die, divine pietatis intuitu, et magistri Guillermi, fratris sui, concanonici nostri, precum interventu, concessimus etiam simul fieri anniversarium dicti magistri Guillermi, cum viam universe carnis ingressus fuerit. 3 febr.

XXXVI.

4 febr. 991. II NON. FEBRUARII. De domo Sancte Marie, obiit Gilebertus, episcopus, qui dedit nobis casulam et duas capas pallii, cum bibliotheca[1].

Obiit Albertus, qui dedit nobis decem libras, ad panem quadragesime; et duas marchas argenti, ad crucifixum reparaudum.

Ipso die, obiit venerabilis pater et dominus Petrus, Sancti Marcelli tytuli presbiter cardinalis, qui, a legatione Constantinopolitana reversus, nobis transmisit reliquias, videlicet brachium sancti Blasii, medietatem genu sancti Symeonis, partem etiam quamdam de vestimentis beate Marie virginis, cum aliis multis reliquiis.

Missa de beata Maria.

Hic debet fieri missa de beata Virgine, vel proximiori die quo fieri poterit post, pro domino Petro dicto Juvene, canonico Parisiensi.

1397. Eodem die, [obiit] Petrus[2] Roberti, quondam decanus Sancti Germani Autisiodorensis, canonicus Parisiensis; pro quo habuimus v^c L scuta auri[3].

XXXVII.

5 febr. circa 1360. NON. FEBRUARII. Eodem die, obiit magister Thomas de Maalou, canonicus et cantor Parisiensis; pro quo habemus, super redditibus de Ultrabasis et de Aubergenvilla, XI libras XVI solidos, pro anniversario suo faciendo.

XXXVIII.

6 febr. circa 1230. VIII ID. FEBRUARII. Eodem die, obiit Adam de Collanduno; pro quo habemus de bursa communi decem libras Parisienses.

Eodem die, obiit Richardus Tesson, dyaconus, qui dedit nobis octo libras Parisienses, pro anniversario suo faciendo.

XXXIX.

7 febr. circa 1255. VII ID. FEBRUARII. Eodem die, Petrus de Columpna.

Eodem, Johannes Casearii, sacerdos, canonicus Sancti Johannis Rotundi.

[1] Locus citatus in *Gall. Christ.*, t. VII, col. 42

[2] Petrus VI.

[3] In *Gall. Christ.*, t. VII, col. 262.

Eodem die, Stephanus Froidet.

XL.

VI ID. FEBRUARII. De domo Sancte Marie, obiit Durannus sacerdos. 8 febr.

Eodem die, obiit magister Johannes Haucepie, canonicus dyaconus noster Parisiensis; pro quo habuimus v^c^ franeos, ex venditione [domus] sue claustralis.

XLI.

V ID. FEBRUARII. De domo Sancte Marie, obiit magister Galterus sacerdos; qui dedit nobis duos arpennos terre arabilis, apud Orli, et tres arpennos et tres quarterios vinearum, apud Ivri, ad stationem quatuor ferculorum, et dolium ferratum triginta modiorum capax. 9 febr.

Eodem die, anniversarium patris et matris Ade de Courtlandon, cantoris Landunensis, concanonici nostri; qui, ob remedium anime sue et suorum, dedit nobis trecentas libras Parisiensium, ad emendos redditus; pro quibus assignavimus singulis annis viginti libras reddendas de nostro, videlicet decem libras, singulis annis distribuendas in anniversario Michaelis, quondam Senonensis archiepiscopi, avunculi sui, *etc.*[1]. Circa 1200 1199

XLII.

IIII ID. FEBRUARII. De domo Sancte Marie, obiit Girardus sacerdos. 10 febr.

Eodem die, obiit Stephanus dictus Fredet, clericus; qui dedit nobis tria arpenta et dimidium vince, in clauso, in censiva Johannis de Rivo, ad octo denarios et obolum annui census; item, duo arpenta vinee albe, in censiva domicelle Agnetis de Masangi, ad quatuor denarios et tres pictavinas census; item, tria quarteria in vinea defuncti Verdois; item, dimidium arpentum, in vico Boissières; item, dimidium arpentum vinee, juxta domum Laurentii dicti la Vache; item, dimidium arpentum vinee, au Neplier; item, tria quarteria vinee, juxta Plentau; item, quatuor arpenta terre arabilis, ad Leprosariam; item, tria quarteria terre arabilis, ad Plentas; item, duo arpenta terre arabilis, ad Gason; item, duo arpenta terre arabilis, ad Voves, inter salceium et terram; item, domum et granchiam ubi morabatur, tempore quo

[1] Michael, cognomine de Corbeil.

vivebat, cum toto porprisio; item, unum quarterium terre arabilis, ad Postem. Que omnia supradicta et singula tenebit et possidebit orarius, ad opus horarum.

XLIII.

11 febr. 1276. III ID. FEBRUARII. De domo Sancte Marie, obiit Odo sacerdos.

Eodem die, obiit magister Robertus de Chanaco[1], canonicus, sacerdos et decanus Belvacensis; pro quo habuimus, ex venditione [domus] sue claustralis, centum francos.

XLIV.

12 febr. II ID. FEBRUARII. De domo Sancte Marie, obiit Galterus levita; pro cujus anima et sua, Arnulphus, frater ejus, dedit nobis octo arpennos vinearum, in territorio Montis Civriaci.

Eodem die, obierunt Guillelmus et Eremburgis, pater et mater Guillelmi Pungentis Asinum.

XLV.

13 febr. 1226. ID. FEBRUARII. De domo Sancte Marie, obiit Ostoldus levita et Petrus levita.

Et eodem die, obiit Guillelmus[2], Cathalanensis presul; qui adjecit ad domum Galeranni precentoris unam stationem quinque ferculorum; et, pro ea facienda, dedit nobis tres partes trium altariorum, Gonesse scilicet et sanctorum martirum Gervasii et Prothasii et Herbledis. Statutum est autem a capitulo canonicos Sancti Dyonisii de Passu nobiscum hujus stationis participes fieri. Quando autem predicta domus Galeranni, que juxta ecclesiam Beate Marie sita erat, diruta fuit pro reparatione ecclesie, statutum est a capitulo quod, post decessum Herloini, predicti redditus nulli concederentur, nisi ad firmam; sed capitulum in manu sua tenebit, et, si voluerit, alicui, non in precariam, sed ad firmam dare poterit; ita tamen ut inde fiant stationes eo modo quo solent.

De domo Sancte Marie, obiit Robertus sacerdos.

Eodem die, fiet anniversarium patris et matris Nicholai, cantoris Parisiensis.

[1] Roberti de Chanaco obitum ad idus octobris referunt auctores *Gall. Christ.*, t. IX, col. 772.
[2] Guillelmus II du Perche.

XLVI.

XVI KAL. MARCII. De domo Sancte Marie, obiit Robertus, succentor et sacerdos; qui dedit nobis viginti quinque libras Parisiensis monete, ad stationem quatuor ferculorum faciendam. 14 febr.

Eodem die, reddenda est statio de Andrisiaco, de majoria Audrisiaci retenta a nobis, et de possessionibus et redditibus quos emimus a majore et uxore ejus et filiis eorumdem.

Ipso die, de domo Sancte Marie, obiit Garinus subdiaconus.

Eodem die, obiit magister Ernaldus de Curva Villa, decanus et sacerdos[1]. 1227.

Eodem die, dominus Johannes Lupi, succentor Parisiensis, dedit nobis IIII libras Parisienses, pro una missa de Nostra Domina hic celebranda, capiendas super venditione majorie de Spedona, quam emit a nobis, pro IIIc florenis dictis francis, valentibus IIIc libras turonenses.... Item, fundavit duo anniversaria, primum in die obitus sui, XVII kal. julii, secundum vero erit hodie. Pro quibus nobis dedit XXti libras Parisienses redditus, capiendas super duabus domibus, videlicet, una in vico Sancti Jacobi ad ymaginem beate Marie, C solidos Parisienses; alia in vico Johannis Pain Mollet, VI libras; item, X sextaria mistolii, reddita et conducta Parisius per Almericum Rousselli et heredibus suis; item, super feodo quod fuit Theobaldi Vernon, apud Fontanetum, X libras Parisienses.

XLVII.

XV KAL. MARCII. De domo Sancte Marie, obiit Henricus levita 15 febr circa 1255.

Item, de domo Sancte Marie, obiit magister Petrus de Columpna. Qui instituit duplum in festo beate Anne, et quod triginta septem cerei ardeant in matutinis, in nativitate Domini, et in duabus primis missis, circa altare; et quod, in reditu processionis intrantis ecclesiam Parisiensem, in festo Purificationis ardeant centum cerei, in circuitu chori et majoris altaris, per totam magnam missam. Et predicta luminaria tenetur episcopus Parisiensis facere. Qui Petrus dedit nobis centum et quinquaginta libras; de quibus habuit dominus episcopus quadraginta

[1] Locus edit. in *Gall. Christ.*, t. VII, col. 203.

libras Parisiensium, pro dicto luminari faciendo; de quibus emit idem episcopus quinquaginta solidos Parisiensium annui census, super domo Gaufridi de Pontissara, in magno vico Sancti Honorati. De residuo vero emimus a Henrico Theutonico, presbitero, septem quarteria terre, apud Castanetum, in cultura de Leruron, in censiva ecclesie Parisiensis, ad viginti octo denarios capitalis census, pro decem et novem libris; item, a Natali, majore de Burgo Regine, et Alesia, ejus uxore, duo arpenta et dimidium quarterium terre site inter viam de Cellis et fontem de Blagiis, in duabus peciis, in censiva ecclesie Parisiensis, ad quatuor denarios et pitavinam capitalis census, pro viginti quatuor libris; item, quartam partem cujusdam molendini quod vocatur Nanchon, siti apud Vernotum, pro quinquaginta tribus libris et quatuor solidis Parisiensium.

XLVIII.

16 febr. XIIII KAL. MARCII. Eodem die, obiit dominus Andreas Ferrandi, canonicus, sacerdos; pro quo habuimus, ex venditione domus sue claustralis, IIᶜ francos.

XLIX.

17 febr. XIII KAL. MARTII. Eodem die, obiit magister Reginaldus de Brebensson, canonicus, subdyaconus; pro quo solebamus percipere super terram de Biroz LX solidos, pro anniversario suo faciendo.

L.

18 febr. XII KAL. MARTII. De domo Sancte Marie, obiit Reginundus de Genesta, qui dedit nobis quadraginta libras Parisienses, ad opus anniversarii sui; de quibus emimus XL solidos augmentati census supra domum Petri Cofrarii, prope domum Guillermi de Derenci, in vico Joculatorum, in terra nostra.

1393. Eodem die, anno Domini millesimo cccᵒ nonagesimo tercio, dominus Armandus Jaussaudi, canonicus Parisiensis, dedit ad distribucionem faciendam interessentibus continue a principio usque ad finem matutinis beate Marie, que celebrantur post magnas matutinas, sepcies viginti et decem francos; de quibus fuit emptum a Johanne de Mollendinis quoddam feudum, situm in villa de Alneolo juxta Aubergenville,

valens octo libras Parisienses annui redditus vel circa, quod tenebat a nobis in feudum, ad causam dicte terre de Aubergenvilla.

LI.

XI KAL. MARCII. De domo Sancte Marie, obiit Gervasius de Torota et comitissa, uxor ejus, et Ludovicus, filius eorum; qui dederunt huic ecclesie, precibus Mauricii, episcopi Parisiensis, partem domorum suarum, ad faciendam novam viam. Et ecclesia concessit eis quod, singulis annis, anniversarium eorum faceret. 19 febr. circa 1190.

Eodem die, obiit Symon de Minciaco, canonicus Ceuomanensis et sacerdos; cujus anniversarium capitulum fieri concessit; et statuit quod quicumque domum sitam juxta capellam Sancti Aniani, que fuit domini Petri de Latiniaco, concanonici, tenebit, in cujus domus reparatione idem Symon quadraginta libras de suo posuit, singulis annis, quadraginta solidos, in die predicti anniversarii, persolvet.

LII.

X KAL. MARCII. De domo Sancte Marie, obiit bone memorie magister Odo de Sancto Dyonisio, doctor in theologia. 20 febr.

De domo Sancte Marie, obierunt Johannes et Restoldus et Balduinus sacerdotes.

Eodem die, obiit vir bone memorie magister Jacobus Cosson, canonicus Parisiensis et consiliarius regis et primus presidens camere inquestarum parlamenti; pro cujus habuimus II^c libras Parisienses, ex venditione domus sue claustralis.

LIII.

IX KAL. MARCII. De domo Sancte Marie, obiit magister Petrus de Bosco; Guillelmus diaconus, qui dedit nobis, in claustro Sancti Benedicti, domum cum granchia.... Preterea, idem Petrus dedit nobis tres oblatas, apud Andrisiacum. 21 febr.

Ipso die, de domo Sancte Marie, obiit Radulfus de Lineriis, sacerdos. Circa 1220.

LIV.

VIII KAL. MARCII. Eodem die, obiit magister Nycholaus de Lineriis, 22 febr.

canonicus sacerdos; pro quo habuimus IIIIᶜˣ francos, ex venditione domus sue claustralis.

Eodem die, obiit magister Johannes Poterii, canonicus, sacerdos Parisiensis; pro quo habuimus, ex venditione domus sue claustralis, VIᶜ XII francos.

LV.

23 febr. VII KAL. MARCII. Eodem die, obiit Hildealdis, que dedit nobis quinque arpennos vinearum, in territorio Balneoli, que devenerunt in cellario nostro communi, ad vinum quadragesime; cujus anniversarium debet fieri.

Eodem die, obierunt Johannes Rufus, celerarius ecclesie nostre, et Matildis, uxor ejus; quorum anniversarium capitulum fieri concessit, ad preces Johannis, filii eorumdem, canonici sancti Dyonisii de Passu. Idem enim Johannes et Theobaldus, frater ipsius, pro animabus suis et parentum predictorum, concesserunt capitulo, quod, quamdiu viverent, in memorato anniversario, de proventu cujusdam domus, site in vico qui dicitur Charauri, quam jure hereditario possidebant, et successive possessuri erant, unus post alium, talem distributionem facerent, videlicet : *etc.*

Eodem die, obiit Ademarus de Ruppe Cauardi, canonicus, subdiaconus Parisiensis.

Eodem die, obiit dominus Reginaldus de Busserya, canonicus sacerdos Parisiensis.

1414. Eodem die, obiit magister Johannes Chanteprime [1], decanus Parisiensis, anno Domini M CCCC XIII; qui dedit nobis decem libras Parisienses annui redditus, super domibus, jardinis, terris et vineis Petri [2] Paix-est-bonne; que quondam fuerunt Almarrici de Ponte, scutiferi, in villa et territorio de Castaneto; item, XVIIIᵗᵒ arpenta nemorum nuncupatorum La Broce; item, super uno arpento alneti juxta dictum nemus, quod tenet Odo Ducis, XVIIIᵗᵒ solidos annui redditus; item, super quinque quarteriis prati, aput Alnetum, que tenet ad presens Johannes Bourdet, pro XVIIIᵗᵒ solidis Parisiensibus annui redditus.

[1] Johannes IV, consiliarius parlamenti et preses curie adjuvaminum.
[2] In *Gall. Christ.*, t. VII, col. 212.

LVI.

VI KAL. MARCII. De domo Sancte Marie, obiit Milo[1] decanus; qui dedit nobis domum, ad stationem in claustro trium ferculorum, et sex arpennos vinearum, apud Vitri, que pertinent ad domum magistri Manerii. 24 febr. circa 1075.

Eadem die, fiet anniversarium comitisse Matildis; que dedit nobis Spedonem cum pertinenciis suis.

LVII.

V KAL. MARCII. De domo Sancte Marie, obiit magister Richardus, dictus Tesson, dyaconus, canonicus noster. 25 febr. circa 1295.

Eodem die, obiit magister Johannes Galli, canonicus, sacerdos Parisiensis.

LVIII.

IIII KAL. MARCII. De domo Sancte Marie, obiit Odo sacerdos, qui dedit nobis domum in claustro. 26 febr.

Eodem die, de domo Sancte Marie, obiit magister Radulphus Gaberel; de cujus elemosina recepimus centum libras Parisiensis monete.

Eodem die, obiit dominus Hugo Pelegrini; pro quo habuimus, ex venditione domus sue claustralis, IX[xx] francos.

LIX.

III KAL. MARCII. De domo Beate Marie, obiit magister Lucas, decanus et sacerdos[2].... Dedit eciam capam, infulam, sericas brodatas, cum alba parata, stola et manipulo. 27 febr. 1260.

LX.

II KAL. MARCII. De domo Sancte Marie, obiit Ansoldus subdiaconus. 28 febr.

LXI.

KAL. MARCII. De domo Sancte Marie, obiit magister Girardus de Remis, sacerdos. 1 mart.

Item, de domo Sancte Marie, obiit magister Andreas de Sancto Laurentio, subdiaconus. De quorum magistrorum bonis habuimus sexcies

[1] Citatus in *Gall. Christ.*, t. VII, col. 194. [2] Vide in *Gall. Christ.*, t. VII, col. 205.

viginti libras Parisienses, pro anniversariis eorumdem; que posite fuerunt in emptione medietatis cujusdam decime, in parrochia de Sarcleyo, in territorio de Villa Dombla.

LXII.

2 mart. VI NON. MART. Eodem die, obiit dominus Johannes de Columbis, canonicus, sacerdos Parisiensis.

LXIII.

3 mart. 1 mart 1301. V. NON. MART. De domo Sancte Marie, anno Domini M° CCC°, die Jovis in festo beati Albini, prima die mensis marcii, obiit magister Stephanus de Guibervilla, quondam canonicus Parisiensis; qui dedit nobis, ad opus anniversarii sui in ecclesia nostra Parisiensi quolibet anno faciendi, pro se suique viri venerabilis et discreti magistri Symonis de Guibervilla, fratris, canonici et cancellarii Parisiensis, parentum et benefactorum suorum, animarum remedio et salute, videlicet, octo libras cum dimidia et duodecim solidos Parisienses, distribuendos canonicis et majori altari servientibus. De quibus Stephanus dictus Valentin, de Castaneto, et heredes sui tenentur reddere, in claustro, suis sumptibus et expensis, quatuor libras Parisienses annui redditus, super tribus quarteriis prati, subtus pratum du Fié, et uno arpento vinee, in eodem loco, sitis in terra capituli Parisiensis, apud Castanetum; que emit dictus magister Stephanus a Johanne, filio quondam majoris de Castaneto; item, sexaginta duodecim solidos Parisienses annui redditus, super molendino de Vile, una cum quibusdam areis, que emit a Johanne dicto Baudoire, clerico, apud Corborosam, in terra et dominio capituli Parisiensis. Quos siquidem sexaginta duodecim solidos Parisienses Nicholaus de Vile et heredes sui reddere tenentur, in claustro Parisiensi, suis sumptibus et expensis, et ad penam duorum solidorum, pro defectu solutionis, pro qualibet die, si deficeret in solutione, sicut in littera super hoc confecta plenius continetur.

LXIV.

4 mart. circa 1260. IIII NON. MARTII. De domo Sancte Marie, obiit Guillermus de Courtiriaco, archidiaconus Pruvinensis; qui dedit nobis.... quartam partem

cujusdam molendini, quod vocatur Nanchon, siti apud Vernotum, pro quinquaginta tribus libris et quatuor solidis Parisiensibus; que quarta pars modo valet quindecim sextarios ordei annui redditus.

Quarta die marcii, anno cccc° vicesimo secundo, obiit reverendus pater in Christo Johannes Brevis Coxe[1], electus et confirmatus ecclesie Parisiensis, depost episcopus Gebennensis[2]. 4 mart. 1423

LXV.

III non. marthi. De domo Sancte Marie, obiit Clemens, archidiaconus Laudunensis; qui dedit nobis, ad opus anniversarii sui, quatuor arpeuta terre arabilis, apud Castanetum, in una pecia, in censiva capituli Parisiensis, in loco qui dicitur Roncenoi, onerata in tribus solidis et quatuor denariis capitalis census tantummodo, contigua terre Johannis Bochet, ex una parte, et terre Philippi de Villa Favereuse, armigeri, ex altera. Quas siquidem terras tenent ad presens Johannes dictus Meresse et Laurentius carpentarius, frater ipsius Johannis Meresse, et quilibet eorum in solidum, ac eorum heredes, videlicet quodlibet arpentum pro quindecim solidis et duobus denariis annui redditus, in crastino nativitatis Domini reddendis. Pro qua summa pecunie dicti Johannes et Laurentius obligaverunt se et heredes suos sive successores, qui dictam terram tenebunt, et omnia bona sua, mobilia et immobilia, presentia et futura. Item, dictus Clemens dedit nobis, ad opus anniversarii sui, tria quarteria vinee, sita apud Castanetum, in censiva capituli Parisiensis, videlicet unum quarterium in loco qui dicitur Inter duas Vias, et alterum situm in Parvis Perruchiis, et tercium situm supra domum Andree dicti Ruphi; que tria quarteria vinee tenet ad presens Odo dictus Boivin, pro triginta solidis et tribus denariis, persolvendis annis singulis, in crastino nativitatis Domini. Pro qua summa dictus Odo obligavit se et heredes suos et omnia bona sua, mobilia et inmobilia, presentia et futura, et specialiter quoddam quarterium vinee quod habebat, ut dicebat, apud Castanetum, situm in territorio quod dicitur Inter duas Vias, contiguum vinee decani de Castaneto. Et traduntur omnia ista ad firmam, pro quatuor libris et dimidia et xi denariis; de quibus 5 mart. circa 1265.

[1] Johannes II Courtecuisse.

[2] In *Gall. Christ.*, t. VII, col 145.

canonici et majori altari servientes, qui in vigiliis dicti anniversarii intererunt, duodecim denarios habebunt et totidem in missa; matricularii vero laici duodecim denarios habebunt [1].

LXVI.

6 mart. II NON. MARCII. Eodem die, obiit dominus Johannes de Ponte Crucis, canonicus sacerdos Parisiensis; pro quo habuimus, ex venditione domus sue claustralis, centum francos, ad emendos redditus, pro anniversario suo faciendo.

LXVII.

7 mart. circa 1110. NONIS. De domo Sancte Marie, obiit Reinaudus archidiaconus; qui adjecit unam stationem quatuor ferculorum ad domum Fulconis [2], Parisiensis episcopi. Et, ad illam faciendam, dedit nobis, apud villam Suci, quatuor arpennos vinearum, cum torculari uno et tribus doliis, et censum duodecim denariorum; et, apud villam Vitri, tres arpennos vinearum et dimidium; et, ad Montem Civriacum, dimidium arpennum et quarteriolum. Et voluit ut omnes clerici, qui misse anniversarii ejus intererunt, de statione illa singuli tres denarios habeant.

Ipso die, de domo Sancte Marie, obiit Albertus levita.

Eodem die, obiit Guillelmus Lemovicensis, capellanus in ecclesia Parisiensi; qui dedit nobis quadraginta libras Parisiensium, ad emendos redditus, in anniversario suo distribuendos.

LXVIII.

9 mart. VII ID. MARCII. De domo Sancte Marie, obiit Gibardus subdiaconus; qui dedit nobis domum in claustro, ad stacionem quatuor ferculorum, et tres arpennos vinearum, apud Orli, et tres quarterios.

Et, eodem die, obiit Alexander sacerdos; qui dedit nobis tres arpennos vinearum, apud Sanctum Marcellum, ad stationem faciendam quatuor ferculorum.

Ipso die, de domo Sancte Marie obiit Adraidus subdiaconus.

Eodem die, obiit Adam, quondam regis clericus; cujus anniversarium

[1] Vide supra, t. II, p. 136 et 137, cap. XLIX et L.

[2] Fulco I, episcopus Parisiensis ab anno 1103 ad diem 4 aprilis anni 1104.

Petrus, ejus nepos, canonicus, a capitulo impetravit statuendum, quia in domo sua de novo reparata posuit septies viginti libras Parisiensium, et preterea dedit nobis duos arpennos vinearum, in territorio Clamardi sitos.

LXIX.

VI ID. MARTII. Anno Domini M° CCC°, in vigilia beati Gregorii pape, obiit magister Petrus de Baugiaco, quondam Parisiensis canonicus; qui nobis legavit in testamento suo centum libras Parisienses, ad opus anniversarii sui et illustrissime Margarete, quondam regine Francie. Preterea, executores predicti magistri Petri dederunt nobis, de residuo dicti testamenti, quinquaginta libras Parisienses, ad augmentationem dicti anniversarii. Nos autem, pro dictis centum quinquaginta libris Parisiensibus, assignavimus sex libras Parisienses redditus, accipiendas annis singulis, in anniversario predicto, in bursa horarum nostre Parisiensis ecclesie, solvendas sine dilatione, annis singulis, ab illo qui predictarum horarum officium procurabit, super redditibus quos emimus apud Andresiacum, a domino Roberto de Ruppe Forti, milite. 10 mart. 1301.

Obiit Petrus de Passu, sacerdos, canonicus Sancti Dyonisii de Passu; pro cujus anniversario, percipimus duodecim libras Parisienses augmentati census, admortizatas per canonicos Sancti Benedicti Parisiensis; quas ex conquestu suo habebat et percipiebat super pluribus domibus, sitis in magno vico Sancti Benedicti et in vico Sancti Maturini.

LXX.

V ID. MARTII. De domo Sancte Marie, obiit Henricus Musavena, subdiaconus; qui dedit nobis viginti et sex arpennos terre, quos emit apud Corberosam, in territorio de Autiervilier, ad stacionem quatuor ferculorum. Et quicumque tenebit terras et granchiam de Autierviler stacionem reddet in die anniversarii sui[1]. 11 mart. circa 1225.

Eodem die, de domo Sancte Marie, obiit magister Jordanus de Carnoto, concanonicus noster; qui dedit nobis duo arpenta pratorum, apud Castenetum, et unum quarterium vinee, apud Montem Civriacum, sita in censiva nostra.

[1] Vide supra, t. I, p. 404 et 409, cap. XXXVI et XXXIX.

LXXI.

12 mart. IV ID. MARTII. De domo Sancte Marie, obiit magister Jodoynus de Aurelianis; qui legavit ecclesie Parisiensi quamdam masuram cum pertinentiis, sitam apud Civilliacum, contiguam masure Johannis dicti Maupim, ex una parte, et masure Marie Doranlote, ex altera; item, dimidium arpentum terre retro dictam masuram; que masura cum dicto dimidio arpento terre est honerata in IIII^or solidos Parisienses cum dimidio annui census. Item, dedit dimidium arpentum terre, situm in loco qui dicitur Closel, oneratum in VI denariis censūs, in festo Sancti Remigii, cum tallia; item, unum arpentum et dimidium quarterium terre ad Santerium de Villa Judea, ad campipartem, contiguum terre domini Drocouis de Minciaco; item, dimidium arpentum terre, in loco qui dicitur Col Tort, ad quartam capituli; item, unum quarterium terre, in dicto loco, juxta terram liberorum defuncti Hugonis de Noa, de quarta sive tallia; item, unum arpentum terre, ad Viam Creusam, juxta terram Luciane Magne, de dicta quarta; item, dimidium arpentum terre, in loco qui dicitur Breteigne, juxta terram Hueti Normani, de quarta predicta; item, tria quarteria terre, in loco predicto, juxta terram capituli Parisiensis, de quarta predicta; item, unum arpentum terre, ad viam de Rungiaco, de dicta quarta; item, dimidium arpentum et dimidium quarterium terre, ad viam de Rungiaco, de dicta quarta sive tallia, juxta terram Andree Britot; item, tria quarteria terre, in loco qui dicitur Connart, juxta terram Johannis Dyonysii, de dicta quarta sive tallia; item, dimidium arpentum terre, à la Fosse, juxta terram quondam magistri Roberti de Bercencuria, de dicta quarta. Item, dedit viginti solidos Parisiensium annui redditus sive census, sitos super Magnum Pontem, super domum Johannis de Ligni, percipiendos quatuor terminis Parisius consuetis.

LXXII.

13 mart. circa 970. III ID. MARCII. De domo Sancte Marie, obierunt Garnerus episcopus, et Landricus sacerdos, qui dedit nobis duas domos in claustro, unam sine statione, et alteram cum statione quatuor ferculorum, et quinque arpennos vinearum.

Eodem die, de domo Sancte Marie, obiit Gairinus subdiaconus. Obiit etiam magister Odo de Sancto Dyonisio, sacerdos; cujus anniversarium capitulum fieri concessit. Qui, pro remedio anime sue et Matildis et parentum suorum, dedit nobis quadraginta libras Parisiensium. Circa 1290.

LXXIII.

II ID. MARCII. De domo Sancte Marie, obiit magister Radulphus de Suessionis; qui dedit ecclesie Parisiensi quinquaginta libras Parisienses, pro redditibus acquirendis, pro anniversario suo in ecclesia Parisiensi faciendo. 14 mart. circa 1290

Eodem die, obiit magister Galienus de Pisa, canonicus Sancti Audomari; qui dedit ecclesie Parisiensi centum libras Turonensium, pro redditibus acquirendis, pro anniversario suo faciendo. 1280.

LXXIV.

ID. MARCII. Obiit christianissima Francorum regina Helisabeth[1]; que in ecclesia nostra locum sepulture sibi elegit, et dedit nobis casulam deauratam et totum indumentum sacerdotale, dalmaticam, et tunicam, et duas cappas pallii et quatuor pallia. 15 mart. 1190.

Preterea gloriosus rex noster Philippus, ejusdem maritus, altare in ecclesia nostra fieri postulavit, ibique duos sacerdotes instituit, qui, pro anima ejus et animabus omnium fidelium defunctorum, missas celebrarent, et in ecclesia nostra assidue deservirent; eisque redditus viginti et quinque librarum, singulis annis percipiendos, in perpetuum assignavit. Voluit autem et concessit ut beneficia illa, solis sacerdotibus deputata et in ecclesia nostra commorantibus, post obitum suum, ad donationem capituli libere pertinerent[2]. Statutum est autem a capitulo et assensu episcopi, quod de oblationibus que fiunt in trunco reliquiarum beati Dyonisii et aliarum reliquiarum, quas Philippus, ejusdem maritus, in ecclesia nostra posuit, canonicis et majori altari servientibus, qui vigilie anniversarii intererunt, sex dabuntur denarii, et clericis ejusdem chori duo; et similis fiet distributio in missa. De his autem denariis

[1] Elisabeth seu Isabellis de Hannonia, Philippi II regis uxor.

[2] Apud Dubois, *Hist. Eccles. Paris.*, t. II, p. 147.

matricularii laici duodecim habebunt. Missa autem cantabitur ad majus altare.

Eodem die, obiit magister Helias de Corsone, canonicus penitenciarius Parisiensis; pro quo habemus, super redditibus de Ultrabasis et de Aubergenvilla, LXI solidos, pro anniversario suo faciendo.

LXXV.

16 mart. XVII KAL. APRILIS. Eodem die, obiit Guido Trossellus, qui viariam Steoville et Boschetum silvam dedit nobis, et feodum vinearum Hildeart Baunioli, cujus anniversarium debet fieri.

Circa 1260 Eodem die, de domo Sancte Marie, obiit Petrus Columbi, qui dedit nobis quinquaginta libras Parisiensium, ad emendum redditus; cujus anniversarium capitulum fieri concessit singulis annis.

LXXVI.

17 mart. XVI KAL. APRILIS. Eodem die, obiit Philippus de Corbollio.

Eodem die, obiit Ebroyni cambiator.

LXXVII.

18 mart. XV KAL. APRILIS. De domo Sancte Marie, obiit Thomas acolitus; pro cujus anima, Richeldis, mater ejus, dedit nobis quatuor arpennos vinearum, apud Monsterolium, ad stationem quatuor ferculorum; tali conditione, ut et obitus ejus in eadem die celebraretur, postquam contingeret. Postea vero addidit tres arpennos pratorum et dimidium apud Bri, et centum solidos Parisiensium, qui dati sunt militibus in quorum censiva erant prata : ita quod dicta ecclesia predicta prata pacifice possidebit, quia voluit et assensu tocius capituli instituit, quod singuli canonici Sancti Dyonisii de Passu de statione illa quantum et alii acciperent.

Circa 1225. Eodem die, obierunt pater et mater Johannis de Castris, concanonici nostri, et domina Richeta, soror ipsius.

LXXVIII.

19 mart. XIV KAL. APRIL. De domo Sancte Marie, obiit Johannes de Meriaco, vicarius Sancti Dyonisii de Carcere in ecclesia Parisiensi; qui legavit,

ob remedium anime sue, ecclesie Parisiensi quatuor libras Parisienses census seu redditus, percipiendas annuatim, quatuor terminis Parisius consuetis, super quandam domum, sitam Parisius, juxta archam seu portam Sancti Mederici, contiguam domui Jacobi de Revellis, ex una parte, et, ex altera parte, domui Guillelmi dicti Leyr, Picardi, in censiva Sancti Mederici Parisiensis, in qua moratur ad presens Bertaudus Loyer.

LXXIX.

XIII KAL. APRIL. De domo Sancte Marie, obiit Galterus, precentor et sacerdos; qui dedit nobis, ad stacionem quatuor ferculorum, apud Orliacum, sexdecim arpennos terre arabilis et quatuor arpennos et dimidium vinearum et terciam partem molendini. Hec autem omnia a capitulo data sunt ad firmam decem librarum reddendarum, de quibus capitulum reddet annuatim predictam stationem. 20 mart. circa 1180.

Eodem die, de domo Sancte Marie, obiit magister Philippus de Corbolio; qui, pro remedio anime sue, dedit nobis sexaginta libras Parisiensium, pro anniversario suo in ecclesia nostra singulis annis faciendo, quas posuimus in emptione duorum arpentorum vinearum, sitarum apud Suci, in censiva nostra.

LXXX.

XII KAL. APRILIS. De domo Sancte Marie, obiit Fulco archidiaconus, et Bernardus levita; qui dedit nobis domum in claustro. 21 mart. circa 1220.

Eodem die, obiit venerabilis pater magister Petrus de Capua[1], Sancti Georgii ad Velum Aureum diaconus cardinalis; qui multis profuit non solum ecclesie Parisiensi, sed etiam toti ecclesie Gallicane. Avunculus etiam suus multas et magnas reliquias contulit ecclesie Parisiensi. Capitulum vero, recolens beneficia eorum, anniversarium ejusdem cardinalis concessit fieri singulis annis, in ecclesia Parisiensi. Circa 1230.

Eodem die, de domo Sancte Marie, obiit Petrus dictus Juvenis, diaconus et canonicus Parisiensis; qui dedit, ad opus anniversarii sui, in ecclesia nostra celebrandi, prata que comparavit ab Guillelmo comite, necnon et pratum quod comparavit ab Alexandro Cane, ubi Circa 1260.

[1] Petrus de Capua, nepos legati bis missi in Francia ab Innocentio III papa.

est modo vivarium et jardinum, et decem et octo sextaria bladi, medietatem ybernagii et medietatem avene, super terras quas idem Petrus apud Castanetum dinoscitur comparasse.... Preterea dederunt executores predicti Petri nobis, ad opus horarum, quinque modios mistolii, quos acquisivit, tempore quo vivebat, apud Laiacum et Civiliacum; de quibus Giroudus, ejus clericus, quamdiu vixerit, duos modios recipiet, et post ejus obitum revertentur ad opus horarum; ita quod receptor horarum, singulis annis, persolvet, in purificatione beate Marie, confratrie institute in ecclesia Parisiensi de miraculo Ardencium, pro laude, sexaginta solidos Parisiensium.

LXXXI.

mart. XI KAL. APRILIS. Eodem die, debet fieri unum de anniversariis Raymondi de Claro Monte, canonici Parisiensis; in quo distribuentur centum solidi Parisiensium, prout in ejus principali anniversario, quod fit x kalendas octobris, plenius continetur.

LXXXII.

23 mart. circa 1100. X KAL. APRILIS. Eodem die, obiit Guillelmus de Gallandia, miles; cujus anniversarium faciendum concessimus ad petitionem Guillelmi, filii sui, qui, hujus a nobis obtinendi gratia, pro illius sueque anime remedio, quitavit imperpetuum quicquid pedagii habebat Gornaci, super clericos aut in res eorum, nisi que negotiationes essent, aut super servientes clericorum, cum eis per eumdem locum transitum facientes.

Ipso die, de domo Sancte Marie, obiit Theobaldus sacerdos.

Eodem die, obiit Reimboudus, pater Hebroini cambitoris; ad quorum anniversarium faciendum, Johannes, filius Hebroini, et uxor ejus Hersendis dederunt nobis quadraginta solidos, annuatim percipiendos de sexaginta et decem solidis censualibus, quos in domo, que dicitur domus Canis, sita super Secanam, in vico Sancti Germani Autisiodorensis, habere noscuntur.

LXXXIII.

24 mart. 1320. IX KAL. APRIL. Anno Domini millesimo ccc° decimo nono, IX kal. aprilis, in vigilia annunciationis beate Marie virginis, obiit magister

Girardus dominus de Collauduno, archidyaconus in ecclesia nostra Parisiensi; qui dedit nobis, in augmentatione anniversarii sui, ducentas et xvi libras Parisienses cum ducentis et nonaginta libris Parisiensibus, quas habuimus ex venditione domorum suarum claustralium. Que pecuniarum summe fuerunt posite in emptione domus de Virsiaco cum omnibus pertinentiis ejusdem, emptis a domino Petro de Sollerre, milite, et domina Johanna, ejus uxore.... Item, dedit nobis unam capam pulcram brodatam, ad ymagines beate Marie virginis, cum stola et amitto ejusdem panni. Item, fundavit in eadem ecclesia nostra unam capellaniam, in honorem Dei, beate Marie virginis et beatorum Nichasii sociorumque ejus, ad altare ipsorum martyrum, in capite ecclesie nostre; ad quam pertinet ista que sequuntur : primo, tria arpenta cum tribus quarteriis prati, sita juxta Burgum Regine; item, octo libre annui et perpetui census seu redditus, super domibus ultra Parvum Pontem, in vico Petri Sarraceni, in censiva Henrici de Gandavo, contiguis domui que fuit domini Johannis de Calvo Monte, ex una parte, et domui Petronille de Saccis, beguine, ex altera, quatuor terminis Parisius consuetis; item, quatuor libre Parisienses, percipiende super officio anniversariorum ecclesie nostre Parisiensis, in festo purificationis beate Marie virginis; item, centum solidi super terram Galteri, armigeri, de Thif[1], juxta Gonnessiam; item, centum et octo solidi, capiendi super redditibus parrochialis ecclesie de Separa. Item, legavit, ad augmentationem predicte capellanie, centum libras Turonenses, pro redditibus emendis. Item, legavit capellano dicte capellanie, ad usum suum et successorum suorum, in perpetuum, unum lectum cum pulvinari, quatuor lintheaminibus, de duobus latis quolibet lintheamine, auriculari, duobus capitegiis et coopertorio fourrato de cuniculis; item, unum potum cupreum, unam patellam eream, unum bacinum, calfariam cum pede, unam craticulam, unum scannum, unam mensam cum duobus tretellis. Que omnia supradicta capellanus debet dimittere successori suo in sufficienti statu. Item, ad predictam capellaniam sunt hec : unus calix deauratus infra et extra, ponderis duarum marcharum; unum missale sine nota, cum auriculari et manutergio;

[1] Fort. legend. *Chif*, qui locus nunc dicitur *Gif*.

item, repositoria duo ad corporalia et ad panem, operata cum acu; item, due burete de stanno, unum manutergium ad tergendum manus; item, una mappa parata cum duabus aliis non paratis; item, una casula nigra de samito nigro, ad celebrandum pro defunctis, cum stola et manipulo; item, una casula de fustana, cum stola et manipulo de filo albo; item, unus rochetus vetus; item, una casula bona et fortis de samito rubeo, cum stola et manipulo brodatis super samito yndo; item, alba parata et brodata super samito rubeo; item, casula alba bona, ad celebrandum de beata virgine Maria; item, alba parata cum amicto parato, cum stola et manipulo; item, corporalia ad sufficientiam; item, unum bonum breviarium et pulcrum notatum, ad usum Parisiensis ecclesie, scriptum in pargameno abortivo de littera forme; item, legavit communitati capellanorum celebrancium ad altaria sanctorum Rigoberti et Nichasii sociorumque ejus, per septimanas, ad augmentationem reddituum ipsorum capellanorum celebrancium per septimanas in dictis altaribus, centum libras Turonensium. Sciendum insuper quod dictum anniversarium debet fieri in capis sericis sollempniter, ad majus altare, cum sollempni pulsacione.

De domo Sancte Marie, obiit Constantius sacerdos; qui dedit nobis domum ante Sanctam Marinam et quindecim libras, ad faciendum stationem quatuor ferculorum, quas nobis est redditurus domus possessor.

Circa 1050. Eodem die, de domo Sancte Marie, obiit Lisiernus decanus.

Eodem die, obiit magister Leonius, concanonicus noster et sacerdos; qui dedit nobis quadraginta libras Parisiensis monete, positas in emptione.

Hic debet fieri anniversarium domini Hugonis de Seint Chier, tituli Sancte Sabine presbiteri cardinalis; pro cujus anima, dominus Johannes de Vienna, ejus nepos, concanonicus noster, dedit nobis masuras que fuerunt Thome dicti Barat, apud Ytevillam, et masuras que fuerunt Andree Monete, Adenoti Lesene et Andree, filii ejus, et Guilloti dicti Guenart. Item, dedit nobis duo arpenta prati vel circiter et partem jardini, que fuerunt Guerini d'Auton, secundum quod muri prebendariorum de Ytevilla se comportant in latitudine. Item, dedit nobis viginti libras Parisiensium, ad clausuram murorum faciendam circa predicta. Que omnia conjuncta sunt ex utraque parte domibus et pra-

tis prebendarum de Ytevilla. Et ista omnia tenent et possident dicti prebendarii, et tenentur solvere annis singulis, pro predictis, centum solidos Parisiensium, super censum qui solvitur in die purificationis beate Marie, apud Ytevillam.

LXXXIV.

VIII KAL. APRILIS. De domo Sancte Marie, obiit Herveus, decanus et sacerdos[1]; qui dedit nobis prata apud Viri, que acquisivit, ad stationem quatuor ferculorum, in qua participes sunt canonici sancti Dyonisii de Passu nobiscum. Dedit etiam terram quam ipse habebat apud Gonessiam, ad stationem archiepiscopi Bituricensis, et residuum proventuum ejusdem terre ecclesie nostre; pro quibus Matheus de Marli, frater ejusdem Hervei, dedit nobis quatuor libras, et assignavit nobis illas in furno suo, qui dicitur de Malesard, et in appendiciis ejusdem furni, et in censu quem habet in clauso Mauvoisin, juxta Gallandiam; ita quod quicumque ea tenebit quadraginta solidos nobis reddet in Pascha, et alios quadraginta solidos in festo sancti Remigii. Preterea dedit unum arpentum vinearum, situm apud Balneolum, ad vinum quadragesime. Dedit etiam pallium, et cappam pallii, et tunicam, et albam paratam et quinquaginta solidos, super vineas quas habebat apud Montem Morenciacum, clericis distribuendos ad matutinas noctibus singulis surgentibus, quos ecclesia Sancti Martini de Monte Morenciaco nobis reddet. 25 mart. 1192.

Ipso die, de domo Sancte Marie, obiit Herloinus diaconus; qui dedit nobis quamdam domum, in Fimario sitam, quam emit et de suo edificavit. Voluit autem, et a capitulo statutum est, quod capitulum, vel quicumque, nomine capituli, predictam domum tenebit, die anniversarii sui et Petronille, sororis sue, quod una die simul debet celebrari, canonicis et majori altari servientibus et matriculariis sacerdotibus, qui vigiliis prefati anniversarii intererunt, sex denarios persolvet; et in missa similis fiet distributio, tam canonicis quam majori altari servientibus et matriculariis sacerdotibus; matricularii vero laici omnes insimul duodecim denarios habebunt. Singuli vero clerici de choro qui

[1] In *Gall. Christ.*, t. VII, col. 198, ubi legitur VII *cal.*, loco VIII *kal.*

vigiliis memorati anniversarii intererunt, duos denarios; et qui misse intererunt, similiter duos denarios habebunt.

LXXXV.

26 mart. circa 1270. VII KAL. APRILIS. De domo Sancte Marie, obiit magister Adenulphus [de Anagni], quondam prepositus Sancti Audomari; qui dedit nobis sexaginta solidos Parisiensium annui redditus, distribuendos canonicis et majori altari servientibus, tam pro anima sua quam matris sue, in anniversario utriusque, in vigilia et in missa. Matricularii autem laici duodecim denarios habebunt. Debent autem percipi dicti sexaginta solidi de decem libris, quas idem Adenulphus assignavit super domos suas, sitas in claustro Parisiensi, tam pro anniversario suo et matris sue, quam pro anniversario Gregorii pape[1], avunculi ejusdem, nec non et pro duplo Sancti Audomari in Parisiensi ecclesia instituto, prout in anniversario predicti Gregorii pape, quod celebratur VII kalendas septembris, plenius continetur.

LXXXVI.

27 mart. VI KAL. APRILIS. De domo Sancte Marie, obiit Rainaldus diaconus, et Droco subdiaconus, et Odo sacerdos. Eodem die, obiit Guillelmus de Piveriis; qui dedit nobis, apud Liricantum, terram arabilem, quam Hugo Clementis, decanus noster et prepositus ejusdem ville, de voluntate et assensu tocius capituli, dedit quibusdam hominibus, ad faciendum herbergagia sua; ita quod de unoquoque herbergagio tenetur unusquisque reddere quinque solidos annuatim, termino statuto. Preterea de decem libris quas idem prepositus eidem Guillermo debebat, emit hospites Stephani Beroardi, apud Liricantum, qui reddent annuatim tresdecim solidos, termino statuto; de quibus omnibus, in die anniversarii ejusdem, fiet statio quatuor ferculorum.

Eodem die, de domo Sancte Marie, obiit Girelmus levita.

Eodem die, de domo Sancte Marie, obiit Galterus de Pissiaco; qui dedit nobis quadraginta libras Parisiensis monete, ad emendum redditus.

Circa 1290. Item, obiit magister Hemericus Sancti Christofori, canonicus Sancti

[1] Gregorius IX.

Johannis Rotondi; qui dedit nobis sexaginta solidos annui redditus, super domum Guerini le Paticier, in vico de la Porte Baudeer, in censiva domus Dei Parisiensis; et voluit quod totum distribueretur in vigiliis et in missa et supradicto anniversario.

LXXXVII.

V KAL. APRILIS. De domo Sancte Marie, obiit Philippus de Gometo, thesaurarius Pictavensis et sacerdos; qui dedit nobis, ad opus anniversarii sui, quatuor arpenta vinearum, sita apud Yssiacum, in duabus peciis, in loco qui vocatur Fons Bruiandi. Quas vineas recepit a nobis Johannes de Yssiaco, armiger, filius defuncti domini Johannis de Yssiaco, militis, pro quadraginta solidis annui census, reddendis Parisius suis sumptibus. 28 mart.

LXXXVIII.

IV KAL. APRILIS. De domo Sancte Marie, obiit Gaufridus de Givri, levita; qui dedit nobis domum quandam, juxta Termas, et vinee arpennum et dimidium, apud Balneolum; de quibus redduntur annuatim sexaginta et decem solidi ad denarios matutinarum. 29 mart.

Eodem die, de domo Sancte Marie, obiit Lisiernus subdiaconus.

Eodem die, obiit Guillelmus de Barris, vir nobilis, miles strenuissimus; qui dedit nobis quinquaginta libras Parisiensium, et quinquaginta fabrice ecclesie nostre[1]. Circa 1160.

LXXXIX.

III KAL. APRIL. De domo Sancte Marie, obiit magister Stephanus de Privino, archidiaconus Parisiensis; cujus anniversarium fieri concessit capitulum. Ipse autem dedit domum suam de Fimario, que est supra Secanam, clericis matutinalibus ecclesie istius. 30 mart. circa 1250.

XC.

II KAL. APRILIS. Obiit, de domo Sancte Marie, magister Gilebertus de Saana, canonicus Parisiensis; qui dedit ecclesie Parisiensi quan- 31 mart.

[1] Sequuntur in Cod. obitus et anniversarium Hemerici de Sancto Christoforo, eisdem fere verbis ut ima pagina superiore et seq.

dam domum, sitam Parisius, in vico Cythare, ultra Parvum Pontem, juxta cimiterium Judeorum, amortizatam per litteras regis; ita tamen quod super eandem domum, in eadem ecclesia fundaretur una capellania de valore quatuordecim librarum Parisiensium annui redditus, percipiendarum singulis annis, super dictam domum, a capellano qui dictam capellaniam obtinebit, quiete et libere, quatuor terminis Parisius consuetis, per manum illius qui pro tempore gesserit officium anniversariorum ecclesie memorate; et residuum dicte domus legavit eidem ecclesie, ad opus anniversarii sui, singulis annis, in eadem faciendi; ita quod ex illo residuo debet domus predicta in posterum sustentari. Item, legavit, ad opus dicte capellanie, unum calicem intus et exterius deauratum, unum missale, ad usum ecclesie Parisiensis, et duas infulas, cum alba et amicto. Item, legavit centum libras Turonensium, ad fabricam cujusdam capelle in dicta ecclesia construende, in honore sancti Johannis Baptiste, et beate Marie Magdalene, in qua, cum constructa fuerit, celebrabunt capellani, qui pro tempore dictam capellaniam obtinebunt. Matricularii duodecim denarios habebunt.

XCI.

1 april. Kal. aprilis. Anno Domini M CC XL octavo, feria tercia post Ramos Palmarum, obiit bone memorie Guillermus Alvernensis, Parisiensis episcopus[1]. Qui dedit nobis, ad opus anniversarii sui, in ecclesia nostra celebrandi, tres modios ybernagii, ad mensuram Parisiensem, annui redditus, de octo modiis bladi, quos acquisivit super totali decima de Maciaco, et emit a domino Symone, tunc domino ejusdem ville, percipiendos annuatim infra festum beati Martini hyemalis. Cujus Symonis totalis dicta decima erat, et tenebat eam in feodum ab episcopo Parisiensi.... Preter hec sciendum est quod idem episcopus dedit nobis in morte sua duas cappas sericas, broudatas, habentes ymagines pretiosas et magni precii, et tres pannos baldequinos, de quibus facte fuerunt tres cappe. Dedit etiam nobis capellam unam integram, videlicet casulam, dalmaticam, tunicam et duas albas paratas, quarum una erat tota serica, stolam, mitram, manipulum, baculum pastoralem et

[1] In *Gall. Christ.*, t. VII, col. 99, et apud Dubois, *Hist. Eccles. Paris.*, t. II, p. 371.

anulum, et phyalas argenteas, bacinos argenteos et phyalas argenteas in quibus reponitur crisma, et etiam alia duo vasa cum crismate, et cathedram ferream, duo tapeta, et tres quarellos de chorio broudatos, et quoddam vas de lapidibus preciosis et argento, deauratum, cum reliquiis sancte Helysabeth et quibusdam capillis beate Marie virginis, et campanam, que vocatur campana Guillelmi.

XCII.

IIII NON. APRILIS. Eodem die, debet celebrari semiduplum in honore beate Marie Egypciace, perpetuo, in Parisiensi ecclesia, et in crastino dicti festi missa de beata Maria, quamdiu vixerit venerabilis pater Radulphus de Chevriaco[1], Ebroicensis episcopus, quondam canonicus Parisiensis.... Idem vero dominus Radulphus dedit nobis quamdam decimam, de conquestu suo moventem, sitam tam in parochia de Braya quam in territoriis sive locis circumadjacentibus, in terris, vineis et possessionibus aliis, valentem annuatim communi estimatione circiter quinque modios et duos sextarios bladi et avene, oneratam in duobus modiis monasterio de Edera, et in duobus sextariis monasterio de Fouetello. 2 april.

Die secunda mensis aprilis, celebrabitur de cetero missa solempnis de beata virgine Maria, pro domina regina Blancha[2], quamdiu ipsa vixerit; et, post ejus obitum, ipsa missa convertetur in missam de deffunctis, que dicetur solempniter die tali qua ipsa domina decesserit vel immediate post, pro salute et remedio animarum sue, regis Philippi, quondam regis Francorum, et domine Johanne[3] Francie, eorum filie.

XCIII.

III NON. APRILIS. De domo Sancte Marie, obiit Johannes de Troussolio, concanonicus noster et sacerdos; qui dedit nobis, ad opus anniversarii sui, centum libras Turonensium, que posite fuerunt in emptione vinearum de Crosilles, in dyocesi Senonensi. Cujus anniversarium facere debemus, et distributionem de sexaginta solidis Parisiensium, 3 april.

[1] Radulfus IV de Chevry, episcopus Ebroicensis 1263-1269.
[2] Blancha de Navarra, Philippi VI, Franciæ regis, uxor, 5 oct. 1398 defuncta.
[3] Johanna dicta Blancha de Francia, 16 sept. 1371 defuncta.

solvendis a camerario ecclesie Parisiensis, quamdiu dictas vineas camera tenebit.

XCIV.

4 april. II non. aprilis. De domo Sancte Marie, obiit Mauricius, filius Odonis de Fimo; qui dedit nobis quandam domum, in Fimo sitam, juxta Secanam, pro anniversario suo et patris et matris ejus, in ecclesia nostra singulis annis faciendo.

Eodem die, obiit Stephanus diaconus dictus pastoralis et vicarius Sancti Victoris in ecclesia Parisiensi; qui dedit nobis quadraginta libras Parisiensium, ad emendos redditus.... Dedit etiam nobis cyphum mazelinum cum pede argenteo, ad serviendum in refectorio.

Eodem die, anniversarium secundum pro domino Petro de Ordeo Monte et pro omnibus amicis suis et benefactoribus suis, etc.

XCV.

21 mai. 1460. Universis presentes litteras inspecturis, T.[1], decanus totumque capitulum venerabilis ecclesie Parisiensis, salutem in Filio gloriosissime virginis Marie. Cum alias et nuper, ex parte nobilis et prudentissimi viri domini Guillermi Juvenalis de Ursinis, militis, baronis de Treynello, cancellarii Francie, per nonnullos suos amicos et parentes speciales nobis, in capitulo nostro capitulantibus, expositum fuerit ipsum dominum cancellarium, diu est, habuisse et adhuc habere specialem et singularem affectionem et devotionem erga ecclesiam nostram Parisiensem, ob reverenciam domini nostri Jhesu Christi et dicte gloriosissime virginis Marie, ejus matris, sub qua dicta ecclesia fundata est, et suum corpus seu cadaver, dum ab hoc seculo decesserit, in dicta ecclesia nostra inhumari et sepeliri, scilicet in capella in qua deffuncti sui pater et mater inhumati et sepulti sunt, suamque fundationem ibidem fieri, ac unam missam altam solennem de sancto Guillelmo de Desertis, ob remedium sue salutis anime, suorumque patris et matris, ac parentum, amicorum et benefactorum suorum, et omnium fidelium deffunctorum, in choro dicte ecclesie nostre, singulis annis, quamdiu vixerit, decantari et celebrari, et, post ejus decessum, in unum anni-

[1] Thomas de Courcelles.

versarium seu obitum solennem, perpetuis temporibus, singulis annis, ob remedium et salutem atque in remissionem peccatorum animarum predictarum, in choro dicte ecclesie nostre Parisiensis celebrari converti; et, propter hoc, nobis fuerit oblatum tradere et solvere pro una vice summam ducentum quadraginta scutorum auri; notum facimus quod nos, die date presencium, in capitulo nostro, more solito, hora capituli consueta, capitulariter congregati et capitulantes; habita super hoc inter nos deliberatione matura; considerantes et attendentes affectionem et devotionem singulares, quas credimus ipsum dominum cancellarium erga ipsam et Dominam Nostram habuisse et habere, et eciam sue anime et aliorum predictorum salubriter providere cupientes; sperantes eciam multa bona ipsi ecclesie nostre, per medium ipsius et suorum amicorum, fieri et insequi; hiis de causis et pluribus aliis nos ad hec moventibus, oblationem hujusmodi ratam et gratam habentes, acceptavimus et acceptamus per presentes, eciam pro bono et utilitate ecclesie nostre et divini cultus ejusdem, et dictam missam solennem et altam in choro ejusdem ecclesie nostre Parisiensis, in honorem ejusdem sancti Guillelmi de Desertis, singulis annis, vita ipsius domini cancellarii comite, sive quamdiu vixerit, die decima quinta mensis marcii, aut altera die propinquiori quo fieri poterit celebrari. Et, post ejus decessum seu mortem, ipsam missam in uno anniversario seu obitu solenni converti atque dici et celebrari perpetuis temporibus, singulis annis, die obitus sui aut altera die propinquiori et convenienti, promittimus bona fide. Nosque et dictam ecclesiam nostram et specialiter bona officio anniversariorum ejusdem ecclesie nostre spectantia, ad hoc obligamus per presentes, mediante tamen dicta summa ducentum quadraginta scutorum auri, nobis, propter hoc, cum effectu tradita et soluta, ac per nos a dicto domino cancellario per manus discreti viri domini Symonis Brissonneti presbiteri, ejus capellani et familiaris, recepta, et quam recepisse et habuisse ab eodem domino cancellario, pro una vice, confitemur per easdem litteras; ac de ipsa summa ducentum quadraginta scutorum auri ipsum dominum cancellarium ac suos heredes et causam ipsius habentes et habituros in futurum, ac omnes alios et singulos quorum interest vel interesse poterit, quittamus, liberamus et absolvimus tenore presentium; et de qua quidem

summa CCXL scutorum auri, capientur super dicto officio anniversariorum, et distribuentur singulis annis manualiter in dicta missa, quamdiu ipse dominus cancellarius vixerit; et, post ejus decessum, in dicto anniversario seu obitu, duodecim libre Parisiensium, in hunc modum, videlicet : communitati cuilibet, sex denarii Parisiensium; matriculariis laicis, pro pulsatione, tres solidi Parisiensium; capicerio, pro luminari, tres solidi Parisiensium; missam celebranti, duo solidi Parisiensium; indutis, duo solidi Parisiensium; residuum vero, canonicis Parisiensibus et majori altari deservientibus. Que omnia et singula premissa facere et adimplere, juxta posse, promittimus bona fide, sub ypotheca et obligatione predictis. In cujus rei testimonium, presentibus litteris sigillum nostrum capitulare duximus apponendum. Datum et actum in dicto capitulo nostro, anno Domini millesimo quadringentesimo sexagesimo, die vicesima prima mensis maii. Sic signatum : G. de Riveri; et sigillatum in cera viridi cum dupplici cauda, ut prima facie apparebat : *Sigillum capituli ipsius venerabilis ecclesie Parisiensis*[1].

XCVI.

30 jan. 1489 Universis presentes litteras inspecturis, decanus et capitulum venerabilis ecclesie Parisiensis, ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, salutem in Domino. Notum facimus quod, cum nobilis et potens dominus, dominus Guillermus Juvenalis de Ursinis, miles, dominus de Treynello, cancellarius Francie, ut, in nostra ecclesia, ad honorem Domini nostri Jhesu Christi, ejusque gloriosissime matris et virginis, ac beatissimi Guillermi de Desertis, ejusdem domini cancellarii patroni et apud Deum advocati precipui, in nostra ecclesia Parisiensi, ex ore infancium laus divina, juxta dictum Psalmiste, valeat perfici, et cultus divinus augmentari, ac precibus et orationibus nocturnis et diurnis dicte ecclesie annumerari, ob remedium et salutem anime sue, ac patris et matris sue, quorum corpora in nostra jam dicta, in capella Beati Remigii, requiescunt ecclesia, ac ceterorum amicorum et benefactorum suorum prefate ecclesie nostre, ad utilitatem puerorum chori,

[1] Hanc chartam auctores *Gall. Christ.* summatim referunt, his verbis : « Una cum capitulo (Thomas decanus) concessit, die 21 maii 1460, Juvenali de Ursinis, baroni de Treinello, sepulturam in capella, ubi prius sepulti fuerant ejus parentes. » T. VII, col. 214.

et ad augmentationem reddituum ipsius, dederit et realiter contulerit tricentum scuta auri, nunc cursum habencia, que ab eo recepimus; volueritque idem dominus cancellarius expresse et ordinaverit quod, singulis annis imperpetuum, quolibet mense, videlicet decima quarta die mensis, vespere et vigilie defunctorum, et in crastinum missa de Apostolis, cum oratione prefati beatissimi Guillermi, quoad vixerit, et, post ejus obitum, tali die mensis quota erit dies ejus obitus, missa *de Requiem*, et die immediate precedenti, vespere et vigilie pro defunctis, per magistrum puerorum chori dicte ecclesie nostre, aut, ipso legitime impedito, per alium presbiterum, per nos deputandum, cum dictis pueris chori, alta voce, in dicta capella Beati Remigii, in qua cum presbiteris, Deo dante, intendit sepeliri, celebrentur;... quapropter ipsum dominum cancellarium in omnibus et singulis precibus, orationibus et suffragiis que horis diurnis et nocturnis fiunt et imperpetuum fient in eadem ecclesia nostra Parisiensi et aliis nobis subjectis ac fraternitate mutua conjunctis participem fieri volumus et ordinamus, ipsumque associavimus et associamus per presentes; et insuper, ut sua jam dicta pia et laudabilis devotio de dicto divino officio, singulis mensibus, valeat ad effectum optatum perduci et imperpetuum roborari, ad dicta XII anniversaria cum vesperis, vigiliis et missa, prout superius idem dominus cancellarius declaravit, singulis annis celebrari faciendum....

.... Datum et actum in capitulo nostro, anno Domini M CCCC LX VIII, die tricesima mensis januarii. Sic signatum : J. Bodin.

XCVII.

C'est l'obit de maistre Symon Chapitault.

Die jovis immediate post Brandones, debet fieri obitus, in hac venerabili ecclesia Parisiensi, magistri Symonis Chapitault, dicte ecclesie canonici ac supremi domini nostri regis in sua parlamenti curia consiliarii, quem in eadem ecclesia fundavit. Pro quo obitu, domini decanus et capitulum ejusdem ecclesie promiserunt, tenentur et obligantur realiter et cum effectu tradere distributori, super officio anniversariorum, summam sexdecim librarum Parisiensium, distribuendarum pre- 7 nov. 1474

fatis dominis et aliis tunc presentibus, prout hec et alia lacius constant et contiuentur in anctenticis litteris, manuali signo notarii dicti capituli et eorum sigillo sigillatis, anno Domini millesimo quadringentesimo septuagesimo quarto, die septima mensis novembris. Quarum quidem litterarum tenor sequitur et est talis :

7 nov. 1474. Universis presentes litteras inspecturis, decanus et capitulum venerabilis ecclesie Parisiensis, ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, salutem in Domino. Notum facimus quod, cum venerabilis et circumspectus vir, magister Symon Chapitault, presbiter, in decretis licenciatus, domini nostri regis in sua parlamenti curia Parisiensi consiliarius, frater et concanonicus noster prebendatus, ut, ad laudem et honorem Domini nostri Jhesu Christi ejusque gloriosissime matris et virginis Marie, cultus divinus augmentari, ac precibus et orationibus nocturnis et diurnis dicte ecclesie annumerari valeat, ob remedium et salutem anime sue parentumque, amicorum et benefactorum suorum, ad utilitatem et augmentum officii anniversariorum ipsius ecclesie, dederit et realiter contulerit mediam partem molendini Camerarum magistri Hugonis, Parisius situati, prope Graviam, seu peccunias tradiderit; de quibus ipsam mediam partem, nòmiue nostro, emimus a Nicolao le Sarcelier et Martina, ejus uxore, civibus Parisiensibus; cujus quidem molendini alia media pars, diu est, nobis spectabat; volueritque et ordinaverit idem frater et concanouicus noster ut, annis singulis, imperpetuum fiat et celebretur in eadem ecclesia nostra Parisiensi unum anniversarium solenne;... nos attendentes.... ipsum magistrum Symonem Chapitault, fratrem et concanonicum nostrum, in omnibus et singulis precibus.... associamus per presentes.... predictam mediam partem moleudini ac officium anniversariorum ipsius ecclesie nostre obligamus.

.... Datum in capitulo nostro, anno et die predictis.

XCVIII.

5 april circa 1099. Non. aprilis. De domo Sancte Marie, obiit Rogerus[1], Belvacensis episcopus.

[1] Rogerus II.

XCIX.

VIII ID. APRILIS. De domo Sancte Marie, obiit magister Guillelmus de Partico, canonicus Parisiensis; pro cujus anniversario habemus sex libras et duodecim solidos Parisienses annui redditus, super terram de Oe, versus Liricantum, emptas de peccunia sua et de peccunia habita ex vendicione domus sue claustralis. 6 april.

C.

VI ID. APRILIS. De domo Sancte Marie, obiit Albertus sacerdos, atque Fulco[1], Parisiensis ecclesie episcopus, qui fecit unam domum in claustro[2], et dedit novem arpennos vinearum, ad stationem, ad Monsterolium, et tres solidos et sex denarios de censu. 8 april. 1104

Ipso die, de domo Sancte Marie, obiit Bernardus sacerdos, et Landricus, precentor et levita.

Obiit bone memorie Philippus[3], episcopus Cathalanensis, quondam decanus noster. Pro cujus anima, Guido de Palaciolo, quondam officialis suus, dedit nobis quinquaginta libras Parisiensium, ad emendum redditus ad distribucionem faciendam, in die anniversarii ipsius episcopi, canonicis et majori altari servientibus, qui anniversario ejus, vigiliis et misse personaliter interfuerunt. De predicta autem pecunia fuerunt quidam redditus empti, apud Civilliacum, a Johanne de Dumo, milite, dicto de Sancto Michaele. 1237.

CI.

V ID. APRILIS. De domo Sancte Marie, obiit Symon puer. Eodem die, de domo Sancte Marie, obiit Bernardus de Pontisara, sacerdos; qui dedit nobis viginti libras Parisiensium, ad emendum redditum, ad denarios matutinarum. 9 april.

Ipso die, obierunt Petrus de Challi et Eremburgis, uxor ejus. Pro quorum animabus et sua, Erchembaudus succentor noster, filius eorum, dedit nobis triginta libras Parisiensium, ad emendos redditus, de quibus canonici et majori altari servientes, qui vigilie anniversarii inter-

[1] Fulco I.
[2] Locus editus in *Gall. Christ.*, t. VII, col. 54.
[3] Philippus II de Nemosio.

erunt, sex denarios, et in missa similiter sex denarios habebunt, et duodecim matricularii. De quibus triginta libris, viginti libre posite fuerunt in emptione decime de Viri, et decem in pignoratione decime de Fontaneto. Concessit autem capitulum eidem Erchembaudo, post obitum suum, eadem die, anniversarium suum celebrari.

CII.

12 april. II ID. APRILIS. De domo Sancte Marie, obiit magister Petrus de Lauduno, canonicus Parisiensis; pro cujus anniversario habemus quindecim libras Parisiensium annui redditus, super censivas Parisius emptas, de pecunia habita de vendicione domus sue claustralis.

CIII.

13 april. ID. APRILIS. De domo Sancte Marie, obiit Hugo subdiaconus; qui fecit domum in claustro, et dedit nobis, ad stationem ejus, quindecim libras Pruvinensium, ad stationem quatuor ferculorum.

Circa 1230 Eodem die, obierunt pater et mater domini Petri Juvenis, concanonici nostri. Quorum anniversarium, ad preces ejusdem Petri, fieri concessimus; qui, pro remedio anime sue et predictorum parentum, dedit nobis quadraginta solidos Parisiensium, et assignavit supra quamdam domum, ad ipsum jure hereditario spectantem, sitam Parisius, in Cordubanaria, ad caput ecclesie Sancti Bartholomei Parisiensis, singulis annis, infra octabas nativitatis Domini percipiendos, et in dicto anniversario distribuendos.

CIV.

14 april. XVIII KAL. MAII. De domo Sancte Marie, obiit Ancherus levita.

Eodem die, obiit Agnes, castellana Belvacensis; que dedit nobis duas cortinas et duos bordos cum cortinis.

Circa 1270. Item, eodem die, obiit Johannes, archidiaconus Parisiensis, natus de Aureliaco, Claromontensis dyocesis. Qui legavit ecclesie Parisiensi tria arpenta et tria quarteria et dimidium prati, apud Castanetum, in loco qui dicitur pratum Demanche; de quibus idem archidiaconus emit a Lamberto, quondam majore de Castaneto, duo arpenta et tria quarteria et dimidium, et a Symone de Vitriaco dimidium arpentum, et a

Garino de Perroussello dimidium arpentum; item, unum arpentum, apud Laiacum, prope molendinum, et vineam quandam, quam habebat apud Montem Ceverinum, prope pressorium, ad opus anniversarii sui et defunctorum Gyrardi et Raimundi, quondam ecclesie Parisiensis archidiaconorum et benefactorum suorum; et fiet die qua legetur : ita tamen quod de redditibus dictorum pratorum et vinee distribuantur canonicis et majori altari servientibus, qui dicto anniversario interfuerint, singulis duodecim denarii in vigiliis, et totidem in missa; et residuum inter pauperes sacerdotes chori et clericos dividetur. Item, dedit ecclesie Parisiensi, ad opus cujusdam lampadis, XL solidos Parisienses; item, fabrice ejusdem ecclesie, centum solidos Parisienses; item, ad opus capse sancti Marcelli, centum solidos Parisienses; item, ad aucgmentandos redditus clericorum matutinalium, decem libras Parisienses; item, ad aucgmentandos redditus denariorum horarum, decem libras Parisienses; item, ad aucgmentandos redditus mandati, decem libras Parisienses; ad aucgmentandos redditus denariorum matutinalium, decem libras Parisienses; item, clericis matriculariis ejusdem ecclesie, centum solidos Parisienses, ad emendum redditus, inter ipsos distribuendos in die anniversarii sui.

CV.

XVII KAL. MAII. De domo Sancte Marie, obiit Gilebertus sacerdos; 15 april.
qui dedit nobis domum in claustro, ad stationem quinque ferculorum, et quinque arpennos vinearum, et sex solidos de censu de domo de Vitri, et similiter tres solidos de censu de domo Ade, cum viridario qui est sub Aquila.

Eodem die, obiit Constabulus diaconus; qui dedit nobis duos arpennos vinearum, apud Yssi, et decem libras Parisiensium monete, ad stationem quatuor ferculorum.

Ipso die, de domo Sancte Marie, obiit Galo, succentor et sacerdos. Circa 1200.
Qui, cum precariam de Cauda parum valentem meliorasset, et a quadam mala consuetudine, que griaria dicitur, tam propriis sumptibus, quam amicorum suorum intercessione, absolvisset, capitulum concessit ei quod quicumque dictam precariam, post ejus decessum, teneret, quinquaginta solidos annuatim persolveret.

CVI.

16 april. XVI KAL. MAII. De domo Sancte Marie, obierunt Hubertus levita et Odo subdiaconus. Qui dedit nobis domum in claustro; eo tenore, ut quociensciunque domus predicta in manus capituli, cedente domino ejus, venerit, tociens de centum solidis et hospitale centum [*sic*].

Ipso die, de domo Sancte Marie, obiit Herveus, subdiaconus, de Ruppe Forti; qui dedit nobis dolium quadraginta modiorum et cifum mazelinum.

Eodem die, obiit Vincencius, canonicus noster et domini regis capellanus. Qui, cum in claustro domos haberet et eas magnis sumptibus reedificasset, impetravit a capitulo quod quicumque, post ejus decessum, predictas domos habebit, quadraginta solidos annuatim persolvet, ad anniversarium ipsius Vincentii in ecclesia Parisiensi faciendum.

CVII.

17 april. XV KAL. MAII. De domo Sancte Marie, obiit magister Nicholaus de Tornaco.

Circa 1320 Eodem die, de domo Beate Marie, obiit magister Johannes de Roseto; qui dedit nobis centum libras Parisienses ad emendos redditus, pro anniversario suo in Parisiensi ecclesia faciendo. De quibus emimus a Richardo dicto des Polies et Eramburge, ejus uxore, civibus Parisiensibus, centum et sex solidos Parisienses annui capitalis census seu fundi terre, cum ventis et saisinis que inde poterunt in posterum evenire, super diversis domibus, sitis Parisius, in vico Sancti Boniti, videlicet : super domo Bertandi et Heberti de Crispeio, que quondam fuit Gileti de Maula, triginta solidos Parisienses; item, super domo Johannis de Heronciau, tonelarii, triginta solidos; item, super domo Roberti Vacherii, quindecim solidos; item, super domibus Richardi de Moreto, duodecim solidos et sex denarios; item, super domo Guillelmi de Sancto Bonito, fabri, duodecim solidos et sex denarios; item, super domo Petri Angoulevent, que quondam fuit Johannis Angoulevent; item, et super quadam alia domo sua immediate sita, duos solidos; item, super domo Radulphi Flamingi, duos solidos. Qui quidem centum et sex solidi movebant de feodo domini Parisiensis episcopi; quos dictos

centum et sex solidos, pro dicto anniversario annuatim faciendo, dominus Parisiensis episcopus nobis amortizavit, et voluit quod nos dictos centum et sex solidos teneremus et haberemus in perpetuum, in manu mortua, sicut apparet per suas patentes litteras. Executores autem dicti defuncti, pro quinto denario, viginti libras Parisienses solverunt episcopo supradicto.

CVIII.

XIV KAL. MAII. De domo Sancte Marie, obiit Gillebertus subdiaconus; qui dedit nobis domum in claustro. 18 april.

CIX.

Anno Domini Mº cccº nonagesimo septimo, die vicesima februarii, 20 febr. 1398.
magister Johannes de Karoullay, sacre pagine professor, hujus Parisiensis ecclesie canonicus, dedit, concessit ac realiter tradidit ducentas libras Parisienses, in redditibus annuis acquirendis convertendas, pro uno duplo solempni de beato Yvone, confessore, anno quolibet, perpetuis temporibus, in ecclesia nostra Parisiensi, die decima nona mensis maii, ad modum duplorum solempnium in ipsa ecclesia celebratorum, celebrando.

CX.

XIII KAL. MAII. De domo Sancte Marie, obiit Lisiernus[1] episcopus; 19 april. circa 990.
cujus precibus, Benedictus papa firmavit claustrum istud[2].

Eodem die, obiit Johannes de Monte Omeris; qui dedit nobis quatuor arpennos vinearum, apud Yssi.

Ipso die, de domo Sancte Marie, obiit Odo decanus[3]. 1070.

Eodem die, debet fieri anniversarium magistri Johannis de Meudon, clerici; qui dedit nobis quasdam terras, apud Civiliacum, in censiva nostra sitas.

CXI.

XII KAL. MAII. Eodem die, obiit Nivelo laicus; qui dedit nobis molendinum in Parvo Ponte; cujus anniversarium debet fieri. 20 april.

[1] Aliter Elisiardus.
[2] In *Gall. Christ.*, t. VII, col. 42.
[3] In *Gall. Christ.*, t. VII, col. 194.

Circa 1025. De domo Sancte Marie, obiit Ingerardus decanus, et Gilebertus sacerdos.

Eodem die, obiit reverendus pater Galterus[1], Senonensis archiepi-
1241. scopus; qui, in primeva etate, in ecclesia nutritus Parisiensi, post in decanum est promotus, et tandem in archiepiscopum sublimatus. Cujus anniversarium capitulum nostrum celebrari instituit, ob plurima beneficia et incrementa, que huic ecclesie per ejus sollicitudinem et industriam obvenerunt; in prepositura maxime de Vernoto et de Roseto, in qua ipse et magister Albericus[2], frater ejus, tunc canonici nostri, viginti arpenta terre, que habemus in bosco Venule, nobis dederunt. De cujus elemosina recepimus quinquaginta libras, que cum aliis quinquaginta, quas de elemosina Guidonis de Paleseio habuimus, implicate sunt, apud Civiliacum, in redditibus, videlicet in campiparte, censu et obliis.

CXII.

21 april. circa 1150. XI KAL. MAII. Eodem die, obiit Gonterus; pro cujus anima et Beatricis, uxoris ejus, Adam precentor, filius eorum, dedit nobis quinque arpennos terre, et arpennum vinee et dimidium, apud Montem Civriacum, ad vinum quadragesime.

Eodem die, obiit Guillelmus de Verziaco, canonicus Parisiensis; qui dedit nobis, ad opus anniversarii sui, annuatim in ecclesia nostra faciendi, quatuor arpenta et dimidium terre arabilis, sita apud Balneolos, in loco qui dicitur Trocoutant, in censiva nostra; necnon et arpentum et dimidium prati, apud Laiacum situm, similiter in censiva ecclesie nostre.... Idem autem Guillelmus dedit ecclesie nostre, ad opus borarum, viginti libras, et, ad opus mandeti, decem libras, implicandas per illos qui ad hoc ex parte capituli sunt deputati. Recepimus insuper de elemosina ejusdem defuncti, ad opus cassule Sancti Marcelli, centum solidos Parisiensium. Dedit etiam idem defunctus presbiteris beneficiatis in ecclesia Parisiensi centum solidos, et clericis matutinalibus ejusdem ecclesie centum solidos.

[1] Galterus III Cornut.

[2] Albericus Cornut, episcopus Carnotensis, ab anno 1236 ad annum 1243.

CXIII.

X KAL. MAII. De domo Sancte Marie, obierunt Lisiernus, sacerdos atque decanus, et Hugo. Et, eodem die, obiit Gervasius subdiaconus, qui dedit nobis cappam pallii. 22 april. circa 1050.

Eodem die, de domo Sancte Marie, obiit Osmundus de Pissiaco, diaconus; qui quadraginta libras Parisiensium monete ecclesie Sancti Dionisii de Passu donavit, ad emendum redditum, duobus sacerdotibus ab ipso ibidem constitutis; qui ibidem in perpetuum servirent, et in ecclesia Beate Marie ebdomadas suas, sicut ceteri sacerdotes canonici Beate Marie facerent. Dedit etiam Sancto Dyonisio missale et duo gradalia et antifonarium, et viginti et duos solidos, ad emendum breviarium, et duas casulas, quarum una fuit de pallio, et calicem argenteum cum thuribulo argenteo, et quatuor solidos censuales, apud Andresiacum, quos ipse emit.

Eodem die, obierunt Garnerus sacerdos et Petronilla, mater ejus, et maritus ejus; qui dederunt nobis viginti libras, ad stationem facieudam.

Ipso die, de domo Sancte Marie, obiit Berno sacerdos.

Eodem die, obiit Guillelmus, nepos domini Mauricii, Parisiensis episcopi, concanonicus noster; qui dedit quadraginta libras Parisiensis monete ecclesie nostre, ad emendos redditus.... De predictis autem quadraginta libris, posite sunt in emptione decime de Viri viginti libre, et sexdecim libre in pignoratione decime de Villa Nova, et quatuor libre in emptione cujusdam census, apud Andrisiacum; unde quicumque tenebit redditus prepositure reddet annuatim septem solidos. Circa 1225.

CXIV.

IX KAL. MAII. Eodem die, obiit magister Osmundus, vicarius et dyaconus; qui dedit nobis triginta libras Parisiensium, positas in pignoratione decime de Fontaneto, ad denarios matutinarum. Cujus anniversarium fieri concessimus. 23 april.

Ipso die, de domo Sancte Marie, obiit Burchardus levita et Laudo, sacerdos et precentor. Circa 1075.

1198. Eodem die, obiit Henricus[1], Aurelianensis episcopus. Qui, pro anima sua et patris sui, dedit nobis sex arpennos vinearum; de quibus venditis habuimus viginti quinque libras Parisiensium, et posuimus eas cum aliis denariis in griagio quem emimus, apud Moriacum, a domino Gauchero de Monte Gaii.

CXV.

cum orto sive jardino, sitam apud Cristolium, in terra et dominio capituli Parisiensis, juxta terram dicti archidiaconi et juxta domum Gile dicte la Cornete, ad septem denarios vel circiter annui redditus, in nativitate Domini quolibet anno reddendos. Item, quamdam domum, sitam apud Cristolium, cum granchia et porprisio, in censiva capituli Parisiensis, ad quatuor denarios Parisienses censuales, annuatim solvendos in festo sancti Remigii, contiguam domui Guillelmi dicti Salemon et jardino porprisii capituli Parisiensis. Item, quoddam quarterium terre arabilis, situm ibidem ante domum predictam, oneratum in coustumis seu redditibus ecclesie Parisiensis. Item, duo arpenta et dimidium, nec non et dimidium quarterium terre, prati et salceye sive ripparie, sita apud Cristolium, in censiva capituli Parisiensis, ad decem denarios Parisienses et unum Turonensem capitalis census, debitos annuatim in festo beati Remigii, scilicet quinque quarteria minus quinque quarrellis in loco qui dicitur Preaus, tam terre quam salceye seu ripparie, inter terram ipsius archidiaconi et terram Guillelmi dicti Salemon, et arpentum et dimidium minus octo quarrellis, tam prati quam terre arabilis, ad portum de Cristolio, inter cheminum et terram Johannis dicti Godeman. Item, quandam peciam tam terre quam salceye sive ripparie, continentem dimidium arpentum et dimidium quarterium vel circiter, sitam apud Cristolium, in loco qui vocatur Preaus, contiguam, ex utraque parte, terris dicti archidiaconi, in censiva decani et capituli Parisiensis, ad duos denarios et obolum capitalis census tantummodo, absque alio onere preterquam de decima. Item, dimidium arpentum et dimidium quarterium terre vel circiter, quam habebant Dionisius de Buvenariis, Avelina, ejus uxor, Albericus Chatputois et Ysabellis, ejus uxor, apud Cristolium, in ochiis Aalart, in terra et dominio capituli Parisiensis, prope masuram dicti archidiaconi. Item, portionem quam habebant Hugolinus Burgondus de Cristolio et Matildis, ejus uxor, ac Ysabellis, soror dicti Hugolini, in quadam masura, sita apud Cristolium, inter masuram que fuit quondam bone memorie Petri, quondam thesaurarii Senonensis, et masuram dicti archidiaconi, quam emit a Johanne Hodoardi, in censiva capituli Parisiensis, et quandam peciam terre, in qua edificavit unam granchiam cum quibusdam bercheriis. Que pecia terre sita

est inter duas masuras et terram Alberici de Furno, prout se comportat dicta pecia terre a dicta masura quondam dicti Petri thesaurarii usque ad viam que tendit ad aquam Materne, in eadem censiva; tali modo et conventione adjectis, quod fenestra solarii dicte masure Petri, quondam thesaurarii, que masura nunc est dictorum Hugolini, Matildis, uxoris ejus, et Ysabellis, sororis dicti Hugolini, obturabitur et obturata remanebit; alie vero due, quarum una est in bougio domus, et alia est in celario, remanebunt in statu in quo sunt, nec alia lumina sive fenestre poterunt fieri in muro dicte masure eorumdem, versus predictam terram sive masuram ab eisdem venditam, ut dictum est, archidiacono predicto. Item, quandam peciam vinee, quam habebant Odelina, relicta defuncti Bertaudi Pleart, et Bertholomeus, ejus filius, apud Cristolium, in censiva capituli Parisiensis, ad duos denarios censuales, absque alio onere, juxta porprisium capituli Parisiensis, quod tenebat idem archidiaconus ipso vivente, prout se comportat a cuneo granchie dicti porprisii, in latitudine, usque ad haiam una cum dicta haya, et a dicto cuneo, in longitudine, usque ad domum dicte Odeline et ejus liberorum, retro sitam, una cum muro qui est inter domum predictam eorumdem Odeline et ejus liberorum, et vineam predictam, pro sex libris Parisiensibus, jam eisdem solutis et traditis, nec non et implicatis et positis, nomine dictorum liberorum, in emptionem trium quarteriorum vinee site apud Cristolium, in loco qui vocatur Petit Mont, juxta vineam Christophori dicti Basin, in censiva Hugonis de Veres. Que tria quarteria vendiderunt Sedelina, filia defuncti Alberici dicti Lebaut, Eranburgis, ejus soror, et Fulco, nepos earum, dictis liberis Odeline, sicut dicti Bertholomeus, Odelina, Sedelina, Eranburgis et Fulco confessi sunt coram nobis. Que omnia tradita sunt a capitulo ad firmam Dyonisio, archidiacono Brie, in ecclesia Parisiensi, pro sex libris Parisiensibus, quamdiu vixerit, reddendis quolibet anno, die anniversarii ejusdem Garneri.

CLXII.

III ID. JUNII. De domo Sancte Marie, obierunt Gacho et Erfredus, subdiaconi. 11 jun.

De domo Sancte Marie, obiit Herricus Tuebuef, subdiaconus; qui

dedit ecclesie Parisiensi medietatem cujusdam molendini, quod vocatur Tooeillum, apud Suciacum, in censiva capituli Parisiensis.... Alia autem medietas molendini empta fuit pro anniversario Gaufridi de Barro, cardinalis.

Honera autem et census dicti molendini plenius continentur in anniversario predicti Gaufridi, quod fit XIX kalendas septembris. Et super istis omnibus habentur littere sigillate sigillo officialis Parisiensis.

CLXIII.

12 jun. II ID. JUNII. Anniversarium nobilis domine domine Michaele de Victriaco, nuper dum viveret, domine de Triangulo, relicte defuncti nobilis quondam viri domini Jo. Juvenalis de Ursinis, militis, dum viveret, domini et baronis dicti loci de Triangulo; que obiit anno
1456. Domini M° CCCC° LVI°, die duodecima mensis junii. Pro qua quidem domina sive pro parte cujus, pro hujusmodi suo anniversario, singulis annis, in choro ecclesie nostre Parisiensis celebrando, recepimus realiter et cum effectu, pro una vice, a reverendissimis in Christo patribus ac dominis dominis Ja.[1], miseracione divina patriarcha Anthiocheno, episcopo Pictavensi, et Jo.[2], eadem miseracione divina Remensi archiepiscopo et duce, ac aliis dominis filiis, heredibus et executoribus dicte domine Michaele, summam ducentum scutorum auri in auro bone monete nunc currentis, pro exponendo in reparacionibus domorum, villarum et hereditagiorum ipsi ecclesie nostre prespectantium et pertinentium, aut alias ad utilitatem ipsius ecclesie nostre convertendo. In quo quidem anniversario distribuentur manualiter decem libre Parisienses, tam pro vigiliis et missa solempnibus quam commendacione.

CLXIV.

13 jun. 1305. ID. JUNII. De domo Sancte Marie, obiit Johannes[3], subdiaconus et decanus[4]; qui dedit nobis domum in claustro, ad stationem quatuor ferculorum, et septem arpennos vinearum et pressorium in territorio

[1] Jacobus Juvenalis de Ursinis.
[2] Johannes IV Juvenalis de Ursinis.
[3] Johannes III.
[4] In *Gall. Christ.*, t. VII, col. 207.

Montis Civiriaci. Statutum est autem a capitulo canonicos Sancti Dyonisii de Passu nobiscum hujus stationis participes fieri.

Eodem die, obiit Adela[1], Francorum regina, mater Philippi, regis christianissimi; que dedit nobis plurima ornamenta ecclesiastica, videlicet tres cappas, unam samicii rubei, duas cujusdam panni serici, auro texti, multum preciosi; planetas duas, unam de samitio albo, alteram de quodam panno serico auro texto, iu qua videlicet planeta quidam lapides pretiosi, qui vulgo pelle vocantur, loco auri frigii sunt inserti. Dedit eciam albam, cujus paratura, cum stola et manipulo, simili opere et laudabili auri broudatura facta sunt. Et, preter hec, plurima alia ornamenta dedit nobis. Preterea dedit ad fabricam ecclesie nostre viginti marchas argenti. Statutum est autem a capitulo, quod quicumque stationem ad quam pertinet domus Henrici de Ruel possidebit, singulis annis, canonicis et majori altari servientibus, qui vigiliis hujus anniversarii intererunt, sex denarios persolvet.... Ad predictam autem stationem pertinent dicta domus Henrici de Ruel, sita juxta Sanctum Maturinum, ante claustrum Sancti Benedicti, et duo arpenni et unus quarterius vinee site apud Sanctum Marcellum, in censiva ejusdem Sancti, et quatuor arpenni terre site apud Vitri, in censiva Sancti Launomari et Sancti Marcelli. 1206.

CLXV.

Anno Domini M° CCC° vicesimo, die mercurii post estivale festum beati Martini, vir venerabilis et discretus magister Hugo de Bisuncio, cantor ecclesie Parisiensis, instituit et fundavit in eadem ecclesia, ob sue parentumque ac antecessorum suorum nec non et defuncti magistri Stephani de Bisuncio dicti Prouvençal, olim socii sui, remedium animarum, quandam capellaniam perpetuam in honore sanctorum martyrum Ferreoli et Ferrucii, ad altare ultime capelle de tribus capellis que de novo in dicta edificantur seu construuntur ecclesia, propinquioris porte per quam itur directius ad magnum altare, dictam ecclesiam intrando, et ad capitulum de eadem ecclesia exeundo. Quam quidem capellaniam prefatus cantor dotavit de viginti libratis annui 9 jul. 1320.

[1] Adela seu Alix de Campania, Ludovici VII uxor.

et perpetui redditus Parisiensium bonorum et legalium, pro tempore currencium communiter, solvendorum quolibet anno in perpetuum capellano dicte capellanie, qui pro tempore fuerit, per bursarium seu gerentem officium anniversariorum ecclesie prelibate, duobus terminis, videlicet ad nativitatem Domini decem libras Parisiensium, et ad nativitatem beati Johannis Baptiste alias decem libras, et sic quolibet anno in perpetuum, sub pena duodecim denariorum Parisiensium, committendorum a quolibet bursario dictorum anniversariorum, qui pro tempore fuerit in perpetuum, pro pena et nomine pene, qualibet die post lapsum cujuslibet termini in quo contingeret ipsum bursarium deficere in integra solucione dictarum decem librarum; ita tamen quod capellanus dicte capellanie, qui pro tempore fuerit, teneatur per se vel per ydoneum sacerdotem, qualibet die, unam missam celebrare, exceptis dominicis diebus, in quibus non est nec erit astrictus. Pro qua capellania sic fundata, capitulum ecclesie Parisiensis predicte habuit et recepit a dicto cantore in bona pecunia numerata sexcentas libras bonorum parvorum Turonensium, in usus utiles et necessarios dicte Parisiensis ecclesie conversas, prout hec et alia in litteris infrascriptis plenius continentur. Quarum litterarum tenor talis est:

In Dei nomine, amen. Universis presentes litteras inspecturis, capitulum Parisiensis ecclesie, eternam in Domino salutem. Notum faci-
9 jul. 1320. mus quod, anno Domini M° CCC° vicesimo, indictione tercia, pontificatus sanctissimi patris ac domini domini Johannis, divina providente clementia pape vicesimi secundi, anno quarto, die mercurii post festum beati Martini estivale, mense julio, videlicet nona die mensis ejusdem, ad infrascripta et alios tractatus propter hoc a nobis prefixa specialiter et expresse in ecclesie Parisiensis capitulo, nobis et aliis de nostro capitulo vocem habentibus, qui voluerunt et potuerunt interesse presentibus personaliter, et diligenti super hoc tractatu inter nos, nostro et ecclesie Parisiensis nomine, pro nobis et nostris successoribus in perpetuum, ex una parte, ac venerabilem et discretum virum magistrum Hugonem de Bisuncio, cantorem ecclesie nostre prelibate, ex altera, prehabito, pensata evidenti utilitate nostra et ecclesie nostre Parisiensis, in presencia publici notarii infrascripti et testium subscriptorum, actum fuit in dicto capitulo inter nos, nominibus et pro qui-

bus supra, et prefatum cantorem, in modum et formam inferius annotatam, videlicet quod, de voluntate et auctoritate nostra ac expresso consensu, nominibus et [pro] quibus supra, prefatus cantor, ob sue parentumque et antecessorum suorum, nec non et defuncti magistri Stephani de Bisuncio dicto Provençal, olim socii sui et capellani in ecclesia nostra, remedium animarum, in ultima de tribus capellis que de novo in nostra edificantur seu construuntur ecclesia, propinquiori porte per quam itur directius ad magnum altare, intrando ecclesiam, et ad capitulum de ecclesia exeundo, instauravit, fundavit et instituit quandam perpetuam capellaniam in honore sanctorum martyrum Ferreoli et Ferrucii. Ad altare cujus capellanie voluit, precepit et ordinavit, quod quilibet ipsius capellanie capellanus, qui pro tempore fuerit in perpetuum, teneatur et ad hoc in collacione sibi facienda per juramentum proprium in capitulo nostro se astringat specialiter et expresse, per se vel per ydoneum sacerdotem, celebrare unam missam qualibet die, exceptis diebus dominicis, in quibus ipsos non astrinxit. Cujus quidem capellanie collationem, ad vitam suam dumtaxat, idem cantor quandocumque et quocienscumque et qualitercunque ipsam capellaniam vacare contigerit per capellanorum obitum vel resignationem simplicem aut causa permutacionis vel aliter qualitercunque, nec non et dispensationem super etate et ordinibus capellanorum qui pro tempore vite sue fuerint in ipsa capellania, sibi retinuit specialiter et expresse. Post obitum vero ipsius cantoris, voluit et ordinavit quod ipsius capellanie collatio pleno jure ad decanum et capitulum Parisiensis ecclesie, qui pro tempore fuerint, in perpetuum devolvatur; ita quod, post ipsius cantoris obitum, dicta conferatur capellania, quociens vacaverit, persone ydonee, jam ad sacerdocium promote vel infra annum promovende; que antequam sibi conferatur, ad celebrandum ad dictum altare per se vel per alium, qualibet die, exceptis diebus dominicis, ut est dictum, ac ad alia opera et officia ad que ceteri Parisiensis ecclesie capellani astricti sunt, per juramentum proprium se astringat, secundum quod in ecclesia nostra in premissis hactenus extitit consuetum. Quam quidem capellaniam prefatus cantor dotavit de viginti libratis annui et perpetui redditus Parisiensium bonorum et legalium, pro tempore currentium communiter, solvendo-

rum quolibet anno in perpetuum capellano qui pro tempore fuerit, per nostrum bursarium anniversariorum ecclesie Parisiensis, hiis duobus terminis, videlicet ad nativitatem Domini decem libras, et ad nativitatem beati Johannis Baptiste alias decem libras, et sic quolibet anno in perpetuum, sub pena duodecim denariorum Parisiensium, committendorum a bursario quolibet dictorum anniversariorum, qui pro tempore fuerit, in perpetuum, pro pena et nomine pene, qualibet die post lapsum cujuslibet termini in quo contingeret bursarium ipsum deficere in integra solutione dictarum decem librarum, ipsi capellano, ut dictum est, quolibet termino in perpetuum facienda, et eidem capellano a dicto bursario dandarum et solvendarum una cum principali, pro pena et nomine pene, tociens quociens committetur dicta pena. Quas quidem viginti libratas perpetui redditus, una cum dictis penis, nos, nominibus et pro quibus supra, pensata evidenti et necessaria utilitate nostra et ecclesie nostre, pluribus tractatibus super hoc diligenter prehabitis, et maxime mediantibus sexcentis libris bonorum et legalium parvorum Turonensium, quas nos, nominibus et pro quibus supra, ob hanc causam specialiter, a dicto cantore habuimus et recepimus, ac nos habuisse et recepisse integraliter in pecunia legittime numerata, et in usus utiles et necessarios ecclesie nostre Parisiensis conversas fuisse confitemur et asserimus bona fide, pro dicto cantore et nomine ac ad deliberationem ejusdem, assedimus, assignavimus et in apparenti posuimus in perpetuum super omnia et singula anniversaria nostra et dicte ecclesie nostre; nos et successores nostros in dicta ecclesia, nec non et ipsa anniversaria, bursam et bursarios eorumdem, una cum omnibus aliis bonis et redditibus ecclesie nostre, dicto cantori, nomine dicte capellanie, et omnibus et singulis capellanis qui pro tempore fuerint in perpetuum in ipsa capellania constituimus obligatos specialiter et expresse; promittentes bona fide, pro nobis et successoribus nostris in perpetuum et sub obligacione qua supra, per manum dicti bursarii, qui pro tempore fuerit, singulis annis in perpetuum, cuilibet capellano, qui pro tempore fuerit in dicta capellania, dictas viginti libras dicte monete reddere et solvere terminis suprascriptis, sub pena predicta, ad quam penam obligamus et oneramus in perpetuum omnes et singulos bursarios nostros dictorum anniver-

sariorum, qui pro tempore fuerint, dandam et solvendam, ut dictum est, una cum principali, capellano dicte capellanie, tociens quociens committetur; volentes nos ac successores nostros et bursarium nostrum, qui pro tempore fuerit, per capcionem, venditionem et explectationem bonorum nostrorum et ecclesie nostre, et alias ad premissa complenda posse compelli per quamcunque potestatem seu judicem ecclesiasticum vel eciam secularem; unde ex certa sciencia, consensu unanimi, nullo penitus discrepante, dictam capellaniam et omnia ac singula contenta in presenti instrumento, modo et forma quibus in eodem continentur, confirmamus, laudamus, ratificamus, nominibus et pro quibus supra, ac eciam approbamus. Insuper in hiis omnibus et singulis auctoritatem nostram et ecclesie nostre interponimus pariter et decretum; renunciantes expresse *etc*... In quorum omnium testimonium, sigillum nostrum, una cum subscripcione et signo publici notarii infrascripti, huic presenti instrumento publico duximus apponendum.

Et ego Guillelmus de Corbignyaco, Eduensis dyocesis clericus publicus, apostolica, imperiali et regia auctoritate notarius et curie Parisiensis juratus, sub anno, mense, die, hora, loco, indictione et pontificatu predictis, dominis et magistris predicto cantore, Guillelmo et Johanne arcbidyaconis, Petro de Wirmes, Johanne Baufeti, Petro de Fayello, Odone de Senonis, Guidone de Lauduno, Guillelmo Piqueti et aliis dicte Parisiensis ecclesie canonicis, capitulum facientibus et ad capitulandum more solito congregatis, premissis omnibus, prout suprascripta sunt, in capitulo lectis et a capitulo et cantore predictis ad invicem concordatis, presens interfui, premissaque scribi feci, et ea, hic manu mea propria me subscribens, in hanc publicam formam redegi, et una cum sigillo predicti capituli huic presenti instrumento signum meum apposui consuetum, rogatus; presentibus.... domino Manuele de Placentia, presbitero, perpetuo in ecclesia Parisiensi vicario, magistro Stephano Admiraudi, Bethunensi preposito, et pluribus aliis ad hec vocatis et rogatis.

CLXVI.

XVII kal. julii. De domo Sancte Marie, obiit Fulco levita; qui adjecit quintum ferculum ad stationem domus Gilleberti. 15 jun.

1271. Eodem die, de domo Beate Marie, obiit magister Milo de Corbolio. Qui dedit nobis, ad opus anniversarii sui, quinquaginta solidos annui augmentati census de tresdecim libris Parisiensibus augmentati census, quas idem defunctus de hereditate sua habebat Parisius, in Gallandia, videlicet super domum magistri Rogeri de Rigido Ponte, et super domum Johannis de Nemore, cutellarii, sibi invicem contiguas, in censiva ecclesie Parisiensis, inter domum que fuit defuncti Gaufridi dicti Hannequin, que nunc est Terrici Frisonis, et domum defuncti Camelini; nec non et tria arpenta et unum quarterium vinee, vel circiter, site in Bello Campo, in clauso Agnetis dicte la Courtoise, ultra domum Templi Parisiensis, tradite ad censum annuum triginta solidorum.

Insuper magistri Garnerus, archidiaconus in ecclesia Parisiensi, Gaufridus, capellanus et penitenciarius domini Parisiensis episcopi, et Robertus de Serbona, canonicus Parisiensis, executores testamenti dicti defuncti, attendentes quod idem defunctus longo tempore canonicus Parisiensis exstiterat, et de bonis ecclesie Parisiensis ditatus fuerat, dederunt et concesserunt ecclesie Parisiensi, ad augmentationem dicti anniversarii, de bonis pertinentibus ad eorum executionem et dispositionem, centum solidos annui augmentati census, videlicet super dicta domo Camelini, que, post ipsum Camelinum, fuit Agnetis dicte la Cameline, filie dicti Camelini, triginta solidos, et sexaginta et decem solidos de decem libris et dimidia residuis de tresdecim libris predictis. Que decem libre et dimidia ex caduco dicti magistri Milonis devenerant pro equali porcione ad Ferricum de Corbolio, magistrum Adam, fratres, et Avelinam, sororem dicti defuncti Milonis. Quos quidem centum solidos, ad ipsum Ferricum spectantes, dictus Ferricus, de consensu uxoris sue, tam permutationis quam vendicionis nomine, dederat et concesserat eisdem executoribus, ad opus executionis dicti testamenti, pro quinque partibus quam idem defunctus habebat de conquestu suo, in granchia et pertinenciis granchie de Gravois, juxta Corbolium.... Dederunt insuper dicti executores ecclesie Parisiensi de bonis dicti defuncti unum samicium crocei coloris, duas capas de cangio viridi, unum pannum sericum qui vocatur veluel, et unum manutergium sericum, et quedam aurifrigia, empta precio quadraginta librarum Turonensium.

Insuper dedit idem Milo, dum vivebat, ecclesie Parisiensi sexaginta solidos Parisiensium annui augmentati census, eidem magistro Miloni venditos a Johanne dicto Maupin, Petro dicto Chatrois et eorum uxoribus, de Layaco, reddendos annis singulis ab eisdem venditoribus et eorum heredibus et percipiendos in festo hyemali beati Martini, super novem arpenta et uno quarterio terre arabilis et tribus arpentis vinee uno quarterio minus, sitis apud Layacum, in diversis locis, in censiva et dominio decani et capituli Parisiensis, sicut in litteris curie Parisiensis plenius continetur. Dederunt etiam dicti exequutores ecclesie Parisiensi quatuor libras Parisiensium augmentati census, quas, nomine permutationis, habuerunt dicti exequutores a dicto magistro Adam, pro rebus quas idem defunctus habebat de conquestu suo apud Genouliacum, et pro nemore quod habebat idem defunctus de conquestu suo apud Cheveuroche, videlicet sexaginta solidos, qui eidem Ade obveuerant ex caduco dicti magistri Milonis, super domum magistri Rogeri dicti de Radepont et super domum Johannis de Nemore predictas, et decem solidos quos idem Adam habebat super dicta domo Agnetis la Cameline. De quibus quatuor libris habebunt canonici et majori altari servientes quadraginta solidos una cum aliis sex libris predictis, et beneficiati et clerici chori viginti solidos una cum aliis sexaginta solidis supradictis. Alii autem viginti solidi distribuentur organistis ecclesie, videlicet cuilibet, qualibet vice, sex denarios, in quibus alios denarios non habent. Preterea dederunt dicti exequutores ecclesie Parisiensi infulam et capam cum stolis et manipulis de samicio nigro. Si autem de viginti solidis distribuendis organistis residuum fuerit in fine anni, illud residuum distribuetur in vigilia et in missa anniversarii beneficiatis et clericis chori predictis. Sciendum est autem quod capitulum Parisiense dedit duobus canonicis Sancti Aniani, in quorum censiva predicte res site sunt, pro amortizatione earumdem rerum, triginta solidos Parisiensium annui augmentati census, quos capitulum habebat in Gallendia, super domum Gaufridi de Portenvie, in censiva eorumdem canonicorum.

CLXVII.

XVI KAL. JULII. Hic debet fieri missa de beata Virgine, pro magistro 16 jun. circa 1275.

Ansello de Menilio, concanonico nostro, quamdiu vixerit; qui dedit centum solidos Parisiensium, canonicis et majori altari servientibus distribuendos, qui intererunt misse predicte.... Qui dedit nobis quinque arpenta terre arabilis, apud Menilium. De quibus septem quarteria sita sunt versus Malum Respectum, ad duos denarios censuales et obolum, contigua terre Johannis dicti Porchier, ex una parte, et terre liberorum Ysabellis dicte la Quartiere, ex altera. Item, quinque quarteria sita sunt juxta Crucem Lamberti, ad unum denarium censualem, contigua terre Johannis Achardi, ex una parte, et vie que ducit ad Malum Respectum, ex altera. Item, unum arpentum situm in monte, ad tres obolos censuales et dimidium boiselli avene, ecclesie Parisiensi reddendos in crastino nativitatis Domini, contiguum terre Guillelmi de Kala, ex una parte, et terre Johannis de Fraxinis, ex altera. Item, unum arpentum situm est ad Foveam Hurel, ad terciam partem, ut dicitur, ecclesie Parisiensis, contiguum terre Florie, relicte Henrici consutoris, ex una parte, terre Fantinelli de Malo Respectu, ex altera. Dedit insuper novem arpenta terre arabilis; de quibus septem sunt ad septem solidos censuales, duo vero ad campipartem ecclesie Parisiensis; sita ab oppositis leprosie de bannaleuca, contigua terre dicte leprosie, ex una parte, et terre liberorum defuncti Stephani dicti Dangereus, ex altera. Item, dedit tria quarteria prati, apud Castanetum, ad novem denarios censuales, contigua prato mandati ecclesie Parisiensis, ex una parte, et prato domini Johannis Capellani, ex altera. Predicti vero denarii et solidi censuales in festo beati Remigii, in suis locis, ecclesie Parisiensi, singulis annis, debent reddi.

Circa 1340 De domo Sancte Marie, obiit dominus Johannes Lupi, sacerdos et succentor Parisiensis. Qui dedit nobis viginti libras Parisiensium, reddendas pro duobus anniversariis suis, uno ista die fiendo, alio XIII kalendas octobris, quolibet de X libris, recipiendis videlicet in vico Sancti Jacobi, ad ymaginem beate Marie, in opposito vici Plastrariorum, C solid. Parisiensium, alia in vico Johannis Painmolet VI lib. [*sic*]; item, decem sextaria bladi, conducta Parisius, super domum et terris que fuerunt domini Manuelis de Placentia, apud Corberosam; item, feodum, apud Fontanetum, quod fuit Theobaldi Veruon pretio.

CLXVIII.

XIIII KAL. JULII. De domo Sancte Marie, obiit Lambertus levita, alme Marie cancellarius. Eodem die, obiit Urbanus subdiaconus; qui dedit nobis decem et novem anulos aureos et duos cifos argenteos septem marcharum, ad crucem faciendam; et duos arpennos vinearum, apud Montem Civiriacum, ad vinum quadragesime. Eodem die, obiit Adam de Challiaco, qui dedit nobis decimam de Biisseio. Quorum anniversarium debet fieri. 18 jun. circa 1050.

Eodem die, obiit Terricus[1], Nichossiensis archiepiscopus; cujus anniversarium capitulum fieri concessit ad petitionem Petri, succentoris Parisiensis, fratris sui. Idem enim Petrus, ob remedium anime dicti fratris sui et sue, dedit nobis quadraginta libras Parisiensium, positas in emptione cujusdam domus, site in vico Sancte Marine, que fuit Reginaldi de Vamvis. Ante 1213.

CLXIX.

XIII KAL. JULII. De domo Sancte Marie, obiit Euvrardus levita. 19 jun.

CLXX.

Anno Domini M° CCC° XXV°, mense julii, fundavit in ecclesia Parisiensi Robertus dictus le Meignen de Insula Ade, alias dictus de Stampis, clericus chori dicte ecclesie, anniversarium suum de sex libris Parisiensium aunui et perpetui ac admortizati redditus, annis singulis, post ejus obitum, in dicta ecclesia faciendum, modo et forma contentis in litteris sub sigillo curie Parisiensis confectis, quarum tenor sequitur in hec verba: Jul. 1325.

Universis presentes litteras inspecturis, officialis curie Parisiensis, salutem in Domino. Noveritis quod, coram nobis personaliter constitutus, Robertus dictus le Meignen de Insula Ade, alias dictus de Stampis, clericus chori ecclesie Beate Marie Parisiensis, asseruit quod ipse, ratione proprii conquestus, percipiebat et babebat, annis singulis, apud Parisius, in censiva domini Parisiensis episcopi, sex libras Pari-

[1] Hujus presulis nomen ignotum fuit Michaeli Le Quien. Vid. *Orient. christ.*, t. III, col. 1201.

siensium annui et perpetui redditus, quatuor terminis Parisius consuetis, ab eodem domino episcopo sibi noviter et totaliter amortizatas, in locis que sequuntur, videlicet : quinquaginta unum solidos et octo denarios, immediate post viginti octo solidos et quatuor denarios redditus, quos nullo medio, post unum denarium fundi terre, dictus dominus episcopus, causa dicte admortizationis, percipit et habere debet super domo Johannis Britonis, tailliatoris pannorum, sita in vico Nigelle, inter domum Reneri dicti Bourdon et domum Johannis Serrarii, que fuit Guillelmi de Rothomago; item, quadraginta solidos, immediate post tres denarios et obolum fundi terre, super domo Radulphi Miton, prope carnificeriam Magni Pontis, contigua domui defuncte Emeline la Croisiée, ex una parte, et domui Jacobi dicti Poto, ex altera; item, decem et octo solidos cum quatuor denariis, nullo medio post novem denarios fundi terre, super domo Dyonisii de Savigniaco, in vico Presbiterorum, contigua cuidam alii domui ejusdem Dyonisii, ex una parte, et domui Johannis de Corbolio, ex altera; item, decem solidos, statim post sex denarios fundi terre, in vico Scutorum, super domo Henrici dicti Cabeul, que contiguatur, ex una parte, domui Petri de Tribus Molendinis, et, ex altera, domui Girardi de Compendio. Quas dictas sex libras annui perpetuique redditus, admortizatas, ut dictum est, prefatus Robertus, zelo devotionis et affectionis intime, quas erga dictam Parisiensem ecclesiam, ob laudanda Dei servicia, que jugiter et horis debitis nocte dieque fiunt, ibidem gerere se dicebat, motu proprio et ex certa sciencia, viris venerabilibus et discretis decano et capitulo ejusdem Parisiensis ecclesie dedit, contulit et concessit imperpetuum et donatione inter vivos, per presentes, pro quodam anniversario de vigiliis atque missa, post obitum ejusdem Roberti, singulis annis, ab eisdem et in ipsa ecclesia, ob ipsius Roberti, parentum ejus et defunctorum Nicholai de Stampis, Robergie, matris, et Johanne, sororis ejusdem Nicholai, ceterorumque benefactorum et amicorum suorum animarum remedia, una dierum infra octabas obitus dicti Roberti perpetuo celebrando. In cujus hac celebratione distributio de prefatis sex libris annuatim ita fiat canonicis scilicet eidem anniversario presentibus, unicuique de duobus solidis, et beneficiatis de choro predicto qui presentes aderunt, cuilibet, in vigiliis, de duobus denariis

Parisiensibus et de totidem in missa; cedens ipse Robertus prefatis decano et capitulo et in eos omnino transferens, ad opus tamen ac usum anniversarii predicti et distributionis que supra, quicquid juris, possessionis, proprietatis et actionis habebat et sibi competebat in sex libris redditus predictis et earum occasione, super et in dictis earum locis et erga quascumque personas; retento tamen et salvo in hiis omnibus eidem Roberto pleno et libero, quamdiu vixerit, usufructu. Post cujus tamen obitum, idem usufructus, proprietati consolidatus, ad dictos decanum et capitulum integre devolvatur, ad opus et usum annuum ac perpetuum anniversarii sepedicti. Que omnia dictus Robertus promisit per ejus fidem rata et firma tenere semper et habere et contra non facere vel venire de jure sive facto. In cujus rei testimonium, sigillum Parisiensis curie, ad ejus instanciam, presentibus litteris duximus apponendum. Datum anno Domini M° CCC° vicesimo quinto, die veneris in crastino translationis beati Benedicti, mensis julii.

Item, sequntur littere admortizationis dictarum sex librarum, pro anniversario antedicto, sub sigillo reverendi in Christo patris domini Stephani, Parisiensis episcopi, quarum tenor talis est:

Universis presentes litteras inspecturis, Stephanus[1], permissione divina Parisiensis ecclesie minister, licet indignus, salutem in Filio Virginis gloriose. Supplicationem Roberti dicti le Meigneu de Insula Ade, alias dicti de Stampis, clerici chori dicte Parisiensis ecclesie, recepimus, continentem quod, cum ipse, jure proprii conquestus, apud Parisius, in dominio et censiva seu terra nostra, perciperet et haberet septem libras octo solidos et quatuor denarios Parisienses annui redditus, in hiis locis *etc*.... super et ex quibus hujusmodi redditibus ipse Robertus, ad ejus et amicorum suorum animarum remedia, suum proponebat anniversarium, annuente Domino, in dicta nostra Parisiensi ecclesia instituere ac fundare; quatinus nos eidem, pro viginti octo solidis et quatuor denariis Parisiensibus annui redditus, quos nobis, propter hoc, offerebat, a nobis et nostris successoribus Parisiensibus episcopis habendos et percipiendos, annis singulis, ex nunc imperpetuum, primo et principaliter, de prefatis quatuor libris redditus 5 jul. 1325.

[1] Stephanus III de Bourret.

super dicta domo Johannis Britonis, in vico de Nigella, statim post dictum denarium fundi terre, quatuor terminis antedictis; uos, ad tam pium opus, residuum censuum predictorum, faciens in summa sex libras Parisienses redditus, in locis predictis, admortizare vellemus. Huic igitur sue supplicationi favore dicte nostre ecclesie et augmenti divini cultus iu eadem annuentes..., residuas sex libras redditus, in locis predictis, admortizamus penitus et imperpetuum *etc*.... Datum apud Sanctum Clodoaldum, die sabbati post estivale festum beati Martini, anno Domini millesimo ccc^imo vicesimo quinto.

Item, fundavit dictus Robertus quamdam capellaniam in dicta ecclesia, quam dotavit de viginti libris Parisiensibus, in thesauro domini regis Parisius annuatim percipiendis, prout apparet per litteras super hoc confectas, quarum tenor talis est : Universis presentes et cetera.

CLXXI.

20 jun. circa 1150. XII kal. julii. De domo Sancte Marie, obiit Algrinus diaconus, Sancte Marie cancellarius; qui dedit nobis domum in claustro, ad stationem quatuor ferculorum, et quatuor arpennos vinearum in Cardineto, et dimidium arpennum in Monte Cetarii. De qua statione, singuli clerici qui misse interfuerunt tres denarios habebuut. Dedit etiam quadraginta marchas ad crucifixum reparandum, et viginti marchas ad faciendum tabulam super altare et cappam pallii bene paratam. Dedit eciam turrim quam edificavit super Secanam, que est contigua domui decani.

Circa 1200. Eodem die, fiet anniversarium patris et matris Roberti de Bituricis, vicarii Beate Marie Parisiensis; quorum anniversarium, ad preces ejusdem Roberti, capitulum fieri concessit. Idem vero Robertus, pro remedio anime sue et predictorum parentum et benefactorum suorum, dedit nobis triginta libras Parisiensium, positas in emptione novem arpentorum terre arabilis, que capitulum emit in terra sua, apud Civiliacum, ab Henrico Pavone.

CLXXII.

21 jun. circa 1270. XI kal. julii. Obiit Johannes Sarraceni, illustris regis Francie quon-

dam cambellanus; pro quo habemus quadraginta quinque solidos Parisiensium, capiendos et admortizatos super burgesia Parisiensi.

CLXXIII.

X KAL. JULII. Eodem die, obiit vir clare memorie Petrus de Brana, quondam Britanie comes[1]; de cujus bonis habuimus centum libras Parisiensium, ad distributionem in anniversario suo faciendam implicandas. 22 jun. 1249.

Anno Domini millesimo trecentesimo quarto, decimo kalendas julii[2], 22 jun. 1304. scilicet die lune ante festum beati Johannis Baptiste, obiit bone memorie et pie recordationis pater dominus Symon de Buciaco, Suessionensis dyocesis, Dei gracia hujus ecclesie Parisiensis episcopus et illustrissimi regis Francorum consiliarius. Qui, quamdiu vixit episcopus, pie et laudabiliter ac cum magna tranquillitate subditorum suorum ecclesiam istam rexit, et redditus episcopatus et ecclesiam istam in multis et magnis augmentavit. In primis dedit huic ecclesie quadraginta libras Turonensium annui et perpetui redditus admortizatas, quas habebat, ex conquestu suo, in prepositura et castro Montis Morenciaci, censibus, redditibus, proventibus et pertinenciis universis dictorum prepositure et castri.... Item, in testamento suo legavit nobis, ad augmentationem sui anniversarii, terram suam de Gravelines admortizatam, quam emerat a reverendo patre domino Gazone, Laudunensi episcopo, prius tamen persolutis quatuordecim libris Parisiensium, quas percipere debet quidam canonicus capelle domus episcopalis, per eum de novo institutus. Valor autem terre, quantum ad presens, est viginti sex libre Parisiensium. Quod autem residuum fuerit, dicto canonico persoluto, voluit distribui inter canonicos et majori altari deservientes in die anniversarii sui. Item, legavit, ad opus penitenciarie, pro redditibus emendis, mille libras Turonensium; ad augmentationem succentorie, ducentas libras Parisiensium; pueris de choro, ad emendos redditus, centum libras Turonensium; item, canonicis Sancti Dyonisii de Passu quinquaginta libras Turonensium, ad emendos redditus;

[1] De eo vide *Gall. Christ.*, t. VII, col. 863.
[2] Edit. apud Dubois, *Hist. Eccles. Paris.*, t. II, p. 531.

item, canonicis Sancti Johannis Rotundi quinquaginta libras Turonensium, pro suo anniversario faciendo; item, fabrice centum libras Turonensium; item, ad augmentum elemosinarum mandati, ducentas libras Turonensium. Item, dedit nobis vestimenta sua, scilicet casulam de velueto indo, cum tunica et dalmatica ejusdem coloris et albam brodatam cum stola et manipulo; item, matriculariis ecclesie Parisiensis, clericis et laicis, centum libras Turonensium, ad emendos redditus. Item, remisit nobis ducentas libras Turonensium, in quibus ei fabrica tenebatur, ad opus novarum capellarum. Item, dedit nobis, dum viveret, sexcentum libras Parisiensium, ad opus capellarum sanctorum Nichasii, Marcelli et Rigoberti. Item, legavit, ad augmentum distributionum canonicorum capelle domus episcopalis, centum libras Turonensium. Item, legavit successoribus suis episcopis omnia utensilia in domibus suis episcopalibus existencia, videlicet lignea, ferrea, cuprea; item, omnes libros capelle, ad usum Parisiensis ecclesie. Item, legavit successori suo, ad opus episcopatus, omnes conquestus suos, ubicumque in civitate et diocesi Parisiensi existant, terra de Gravelines et de Quicquempoit, quam emit a magistro Gazone de Campania, episcopo Laudunensi, dumtaxat excepta, de qua aliter ordinavit; item, exceptis triginta libris annui redditus, super passagio de Conflancio, quas emit a personis inferius nominandis; quas tringinta libras Parisiensium annui redditus super dicto passagio percipere debent duo canonici capelle inferioris domus episcopalis. Conquestus autem ipsius episcopi sunt hii : Primo, aput Conflans, in passagio, super parte domini Erardi de Monte Moranciaco et super parte domini Bouchardi, tringinta quinque librate terre et sex denarii; in termino Omnium Sanctorum, undecim libre et quindecim solidi et sex denarii, in termino Purificationis, undecim libre quindecim solidi et sex denarii, in termino Ascensionis, undecim libre quindecim solidi sex denarii. Item, apud Gentiliacum, emit proprietatem Turris Rotunde et feodum cum jure et pertinenciis ejusdem, estimatis quinquaginta libratas terre et plus. Item, acquisivit, apud Gentiliacum, a Dyonisio Brictone septem quarteria terre arabilis; item, a Radulpho Fabro duo arpenta terre; item, a Ferrino duo arpenta terre; item, a domino Dyonisio, curato Sancti Benedicti, arpentum et dimidium terre et unum quarterium prati; item, a Symone Chasse-

Prestre dimidium arpentum terre; item, a Radulfo Fabro dimidium arpentum terre; item, dimidium arpentum terre ante pressorium; item, a Henrico Carpenterio dimidium arpentum terre; item, a Henrico Quarer unam masuram, prout se comportat, juxta domum episcopalem; item, a Renaudo de Chemino unam masuram, prout se comportat, contiguam domui episcopali; item, a Guillermo la Gambe unam masuram cum jardino, curia ac domo juxta domum episcopalem. Item, aput Sanctum Clodoaldum, emit a defuncto Petro de Murelis, armigero, quinquaginta novem solidos annui redditus, solvendos in duobus terminis. Item, acquisivit, in territorio de Garges, a Garino apothecario quinque quarteria prati; item, quinquaginta solidos annui redditus super domo de Alneto et pertinenciis ejusdem; item, apud Moissiacum, super una domo, que fuit Petri de Achiis, triginta solidos annui redditus; item, decem et novem solidos minuti census, cum duobus homagiis emptis ab eodem Petro; item, Parisius, triginta tres libratas terre, in censiva episcopi, que fuerint Ondini Pidoe et Johannoti de Lescuirel; ita quod super ipsis conquestibus suis successores sui, qui pro tempore fuerint, perpetuis capellanis hujus ecclesie et clericis matutinalibus, pro celebrandis missis et aliis juxta suam ordinationem, prout in litera super hoc confecta plenius continetur, sexaginta libras Parisiensium, anno quolibet, die festi purificationis beate Marie virginis, solvere tenebuntur, quousque dicte sexaginta libre Parisiensium annui redditus per dictos successores suos alterive [*sic*] eorum ipsis capellanis et clericis, ad dictum et laudum venerabilium virorum decani et capituli hujus ecclesie, assignate et assedite fuerint competenter. Pro quibus emendis, legavit dicto successori suo duo milia librarum Parisiensium, capienda de debito in quo tenebatur sibi Philippus, Dei gracia rex Francorum illustris, si sibi deberentur ab eo tempore mortis sue. Alioquin voluit ut de bonis et de rebus suis integre persolvantur. Quam peccunie summam, sive de debito regis aut de aliis bonis suis, ut predixit, persolvantur [*sic*], in thesauro ecclesie Parisiensis per executores suos conserventur, quousque emendorum reddituum obtulerit se facultas. Item, legavit domui Dei de Parisius quingentas libras Turonensium, capiendas de debito in quo sibi tenebatur Philippus, Dei gracia rex Francorum illustris, pro redditibus

emendis; ita quod fratres et sorores dicte domus unam missam de defunctis perpetuo, quater in ebdomada, per unum de fratribus domus ejusdem, ad altare beati Ludovici teneantur facere celebrari, pro salute anime sue, parentum, amicorum et benefactorum suorum. Item, in multis et magnis domos episcopales magnificavit et ampliavit. Primo edificavit in domo Parisiensi cum magnis sumptibus cameram magnam episcopalem cum omnibus pertinenciis, secundum quod se comportat usque ad magnam aulam episcopalem, et multa alia in eadem domo; item, apud Gentiliacum, cameras et logias, juxta Pratellum Magnum, caveam magnam et domum supra et multa alia edificia; item, apud Villam Cereris, grenaria magna et stabula et clausuram magnam cum propugnatis et tornellis. Item, apud Sanctum Clodoaldum, edificavit cameram magnam episcopalem cum cameris circumquaque et cavea; que pro parte per reverendum patrem dominum Ranulphum fuerant edificata, sed propter malum fundamentum fuerant jam disrupta. Item, fecit fieri de novo portam de Moissiaco ad crenellos cum tornella et domo appendentibus ad portam.

CLXXIV.

23 jun. IX KAL. JULII. De domo Sancte Marie, obiit Odo levita.

1240. Obiit bone memorie Henricus[1], archiepiscopus Remensis; pro cujus anima et sua, magister Michael de Sancto Dyonisio, quondam canonicus Remensis, dedit nobis, ad opus anniversarii dicti archiepiscopi et sui, in ecclesia nostra, singulis annis celebrandi, sexaginta libras Parisiensium, quas posuimus in emptione thelonei de Roseto.

CLXXV.

25 jun. VII KAL. JULII. De domo Sancte Marie, obiit Johannes, dominus de Montibus, dyaconus quondam canonicus et cantor Parisiensis. Qui dedit nobis septies viginti libras Paris.; de quibus emimus viginti sex sextaria bladi, que percipiebat de annuo redditu Agnes de Moreto, relicta Thome Bernerii, super magnum seu novum molendinum capituli Parisiensis, situm super Magnum Pontem Parisius, in exoneracione

[1] Henricus II de Drocis seu de Brenna, qui obiit pridie non. jul. 1240 (6 jul.). Vid. *Gall. Christ.*, t. IX, col. 111.

dicti molendini : quod molendinum spectat ad cameram ecclesie Parisiensis. Pro quibus viginti sex sextariis bladi, camera predicta tenetur solvere perpetuo officio anniversariorum ecclesie Parisiensis sex libras Parisiensium, in festo Penthecoustes, pro anniversario dicti deffuncti cantoris, in crastino nativitatis beati Johannis Baptiste, in ecclesia Parisiensi celebrando, quia nos emimus annuum redditum predictum de summa pecunie predicta, pro exoneracione dicti molendini et in augmentum reddituum prefate camere, prout in litteris super hoc confectis, sigillis capituli Parisiensis et Castelleti Parisiensis sigillatis, et datis anno Domini millesimo trecentesimo decimo nono, plenius continetur; que quidem littere deposite sunt in thesauro ecclesie Parisiensis....

CLXXVI.

Anno Domini millesimo quadringentesimo octavo, die lune XXVIII 28 mai. 1408.
mensis maii, reverendus in Christo pater et dominus, dominus Philippus de Molinis, miseracione divina Noviomensis episcopus, quondam cantor et canonicus Parisiensis, dedit et tradidit ecclesie Parisiensi summam octingentorum francorum auri, pro fundacione et dotacione duarum missarum de beata Maria virgine celebrandarum, videlicet una in crastino translacionis beati Marcelli, in mense julii, et altera in crastino Epiphanie Domini, quamdiu idem dominus episcopus vitam duxerit in humanis. Et, post ejus obitum, loco dictarum duarum missarum, fient duo anniversaria sollempnia, unum videlicet die sui obitus et aliud infra sex menses immediate sequentes, die qua assignatum fuerit; nec non pro fundacione duarum processionum, fiendarum annis singulis, in navi ecclesie Parisiensis cum *Inviolata*, more solito, in vigilia et in die concepcionis beate Marie virginis. De qua summa octingentorum francorum, domini decanus et capitulum ecclesie Parisiensis assignaverunt super terra de Ayencuria cum suis pertinenciis, per ipsos dominos nuper a deffuncto domino Johanne de Hangest, domino de Heugueville, milite, acquisita, viginti duas libras Parisiensium annui redditus....

CLXXVII.

V KAL. JULII. De domo Sancte Marie, obiit magister Guillermus de 27 jun. circa 1272.
Karo Loco, sacerdos et canonicus Parisiensis. Qui dedit nobis quadra-

ginta libras Parisiensium; de quibus emimus, pro quindecim libris Parisiensium, viginti solidos Parisiensium aumentati census, a Gaufrido, decano de Olliaco, et Thyecia, ejus uxore, super quatuor arpentis et dimidio terre, et dimidio arpento et dimidio quarterio vinee, sitis apud Olliacum, in diversis locis, prout in licteris super hoc confectis plenius continetur, reddendos capitulo, annis singulis, videlicet in festo sancti Remigii decem solidos et in festo purificationis beate Virginis decem solidos. Nec licebit dictis venditoribus vel eorum heredibus predictas terras et vineam dividere vel partiri, sed solum cedent in partem unius heredum suorum. Quod si facerent, vel si predicta sufficienter non excoleutur, capitulum posset auctoritate propria ad predicta assignare et ea in manu sua capere et tenere. Pro quibus omnibus et singulis implendis, predicti Gaufridus et Thyecia, ejus uxor, obligaverunt capitulo domum suam cum jardino, sitam inter domum Guillermi dicti Vilein, ex una parte, et aliam domum ipsorum, ex altera; et dimidium arpentum terre, situm in territorio quod vocatur le Quarrel, contiguum, ex una parte, terre Guillermi Vilein, et, ex alia parte, terre Landerici Guernon; et unum tercellum vinee, situm in territorio de Perruches, contiguum, ex una parte, vinee capituli Parisiensis de stationibus, et, ex alia parte, vinee Guillermi Rogeri, in censiva capituli Parisiensis. Item, pro aliis quindecim libris, emimus a predictis Gaufrido et Thyecia, ejus uxure, alios viginti solidos aumentati census, predictis termiuis solvendos, super domum suam cum jardino, sitam apud Orliacum, inter domum Guillermi dicti Vileiu, ex una parte, et aliam domum ipsorum, ex altera; et dimidium arpentum terre, situm iu territorio quod vocatur le Quarrel, contiguum, ex una parte, terre Guillermi Vilein et, ex alia parte, terre Landerici Guernon, et unum tercellum vinee, situm in territorio de Perruches, contiguum, ex una parte, vinee capituli Parisiensis de stationibus et, ex alia parte, vinee Guillermi Rogier, in censiva capituli Parisiensis. Pro quibus predicti G. et Th. obligaverunt contenta in alia predicta venditione, sub forma et modo et conditionibus antedictis, prout in licteris super hoc confectis plenius continetur. Item, pro aliis decem libris, emimus a Galtero dicto Avice Anglico et Ysabelli, uxore sua, quandam domum retro claustrum, in ruella Sine Capite, contiguam, a parte posteriori,

domui Gaufridi decani nostri, oneratam in duobus denariis annui capitalis census, debitis ecclesie Parisiensi, et in viginti septem solidis et decem denariis Parisiensium augmentati census, videlicet Henrico Monton, civi Parisiensi, in viginti solidis, quatuor terminis Parisius consuetis, et Ade dicto Boucel, civi Parisiensi, in viginti denariis, eisdem terminis, et domino Thome de Lugniis, canonico Sancti Johannis Rotundi, sex solidis et duobus denariis, eisdem terminis Parisius consuetis.

Eodem die, obiit Odelina dicta la Coquilliere; que dedit nobis viginti solidos annui redditus, super domo Guillermi Maugeri, qui venditi fuerunt pro quatuordecim libris Parisiensibus. Capitulum vero, non immemor recepti beneficii, concessit quod anniversarium dicte Odeline fieret cum predicto anniversario.

Hac die, ex fundatione noviter facta per magistrum Petrum Tappereau, canonicum Parisiensem, [debet] fieri distributio sexdecim librarum Parisiensium, prout sequitur : *etc.*... Pro quibus omnibus, habuimus a dicto Tappereau summam quadringentorum octuaginta scutorum auri ad solem, quam in redditibus, ad opus fundationis et distributionis hujusmodi, implicavimus, prout hec omnia latius continentur in fine hujus libri.

CLXXVIII.

II KAL. JULII. De domo Sancte Marie, obiit dominus Richardus de Sancto Marcello, sacerdos; qui legavit ecclesie Parisius quinquaginta libras Parisiensium, ad emendos redditus, pro suo anniversario in Parisiensi ecclesia faciendo. 30 jun.

Item, obiit magister Mauricius de Turonis; qui legavit similiter ecclesie Parisiensi quadraginta libras Parisiensium, pro suo anniversario faciendo. De quibus pecuniarum summis, capitulum emit a Nicholao de Vile et Aliddi, ejus uxore, de Dordano, pro quaterviginti libris Parisiensium, sex libras annui redditus, sitas super medietatem cujusdam molendini, quod vocatur molendinum de Vile, que medietas valet circa tres modios bladi, ad mensuram de Corberosa, que vocatur mensura Parisiaca, et super undecim arpenta terre arabilis cum quarterio; que omnia sita sunt in territorio de Corberosa, in censiva et

dominio ecclesie Parisiensis; habendas et percipiendas annis singulis, super res predictas, duobus terminis, videlicet in octabis Pasche sexaginta solidos Parisiensium, et in octabis sancti Johannis Baptiste sexaginta solidos Parisiensium, sub pena duorum solidorum Parisiensium pro defectu cujuslibet diei, si defectus fuerit in solucione, in toto vel in parte, post terminos predictos, vel aliquo eorum, sicut in officialis Parisiensis et archidiaconi [litteris] confectis super hoc plenius continetur.

CLXXIX.

1 jul. KAL. JULII. Anniversarium tercium pro reverendo domino Petro de Ordeo Monte[1], Parisiensi episcopo, et pro omnibus amicis suis deffunctis.

De domo Sancte Marie, obiit Petrus de Ronyaco, archidiaconus Brie; qui dedit nobis sexdecim libras Parisiensium, super terram de Freneuze, supra Ripam Guionis[2], pro anniversario faciendo in ecclesia Parisiensi, quolibet anno.

CLXXX.

2 jul. VI NON. JULII. De domo Sancte Marie, obiit Rogerus sacerdos; qui dedit nobis domum in claustro, ad stationem quatuor ferculorum, et cappam pallii et archam cum libris suis et quatuor arpennos vinearum apud Saveias.

Eodem die, statio domus Gregorii, que sine aliqua dilatione reddenda est.

Eodem die, de domo Sancte Marie, obiit Herbertus de Gonsenvilla, canonicus et capellanus venerabilis patris Parisiensis episcopi. Qui, cum precibus impetrasset a capitulo nostro quod ejus anniversarium nec non patris et matris, fratrum et sororum ipsius insimul celebraremus in ecclesia nostra, et hoc eidem capitulum concessisset, liberaliter et benigne dedit nobis postmodum quadraginta quinque libras Parisiensium; quas cum aliis denariis posuimus in emptione quorumdam reddituum, sitorum apud Castanetum, quos emimus a Philippo de Roissiaco, milite, et quibusdam aliis.

[1] Petrus de Ordeo Monte obiit 16 jul. 1409.
[2] Leg. : *Rupem Guidonis.*

Eodem die, obiit magister Guillelmus de Crispeio, archidiaconus Parisiensis; qui dedit nobis centum solidos Parisiensium annui redditus, non admortizatos, pro anniversario suo faciendo, scilicet in Castelleto Parisiensi quatuor libras et viginti solidos, super quamdam domum ultra Parvum Pontem, ante domum Arnulphi de Cleves. Modo sunt admortizate IIII libre predicte super Castelleto per dominum regem.

CLXXXI.

V NON. JULII. De domo Sancte Marie, obierunt Lisiernus subdiaconus et Odo levita. 3 jul.

CLXXXII.

IIII NON. JULII. De domo Sancte Marie, obiit Nicholaus de Bello Monte; qui legavit ecclesie Parisiensi ducentas libras Turonensium, pro redditibus acquirendis, pro anniversario suo in posterum in Parisiensi ecclesia faciendo. Capitulum vero predictam pecuniam vel majorem partem ejusdem posuit in edificacione domorum novarum, in cuneo vici Sancte Marine. Et constituit anniversarium ejusdem Nicholai fieri singulis annis. 4 jul.

CLXXXIII.

III NON. JULII. III nonas julii 1492, obiit bone memorie dominus Ludovicus de Bello Monte, hujus ecclesie Parisiensis episcopus et singularis benefactor, ut continetur in licteris hic descriptis. 5 jul. 1492.

Anno Domini millesimo CCCC° nonagesimo secundo, die quarta julii[1], obiit bone memorie dominus Ludovicus de Bello Monte, hujus ecclesie Parisiensis episcopus, primogenitus clarissimi quondam militis domini Ludovici de Bello Monte, domini de Foresta supra Separim, Malleacensis et de Plesseyo Mathei, Andegavensis diocesis, ac inclite recordationis regum Caroli VII et Ludovici XI consiliarii et cambellani, apud quos, ob ejus eximiam prudentiam, in maxima auctoritate fuit, adeo ut ipse rex Ludovicus, hac Parisiensi ecclesia per obitum defuncti bone memorie domini Guillermi Chartier vacante, prefatum dominum Ludovicum absentem nec ad id ullo modo aspirantem, motu proprio, per 4 jul. 1492.

[1] Edit. in *Gall. Christ.*, t. VII, col. 154, ubi legitur *III nonas*, id est 5 jul., ut supra

felicis recordationis Sixtum papam IIII ad hujusmodi dignitatis episcopalis apicem prefici procuravit, in qua xx annis in summa pace et tranquillitate cum ipsa ecclesia vixit, eam ac viros litteratos ac divino cultui deditos totis precordiis colendo et amando, serviciumque divinum, tam diurnum quam nocturnum, assidue frequentando. Sed, cum ecclesiam predictam tam donis ac muneribus quam viris clarissimis ornare studeret, febre correptus, que eum sex continuis diebus oppressit, mente et intellectu sanus, sacramentis ecclesiasticis devote et reverenter susceptis, etatis sue anno XLV^to, migravit ad Cristum, non immemor sponse sue ecclesie Parisiensis, cui imprimis quadringentas libras Turonensium de propria hereditate, pro quadam fundatione in dicta ecclesia facienda, et reddendis suis successoribus exoneratis erga dictam ecclesiam a nonnullis oneribus ab antiquo debitis, testamento suo legavit. Sed quoniam capitulum predicte ecclesie, legatum hujusmodi onerosum reputans, ad onus predictum acceptare noluit, nobilis et potens dominus, dominus Theobaldus de Bello Monte, prefati domini Ludovici antistitis unicus frater et heres, cupiens, ut dicebat, piam fratris intencionem ad effectum deduci et eorum familiam inter benefactores dicte ecclesie merito censeri, ac precum et orationum que in dicta ecclesia imperpetuum fient participes fieri, trecentas libras Turonensium, in et super omnibus et singulis terris et dominiis suis imperpetuum capiendas et per eum ejusque successores annuatim solvendas, ad onus sequentis fundationis in dicta ecclesia Parisiensi imperpetuum faciende et continuande, liberaliter sponteque legavit et donavit, videlicet : Quod prefatum capitulum tenebitur celebrari facere quotidie imperpetuum unam missam de beata Maria virgine, summissa voce, ad altare Ardentium, exceptis dominicis diebus, quibus dicta missa celebrabitur de Trinitate, alta voce, cum diacono et subdiacono, per socios chori et pueros, quibus, si nocte precedenti interfuerint in matutinis, similis fiet distributio sicut fit singulis diebus mercurii, in missa fundata per dictum defunctum dominum Guillermum Chartier, dicti domini defuncti immediatim predecessorem. Item, tenebuntur prefati pueri chori dicere quotidie psalmum *De profundis*, cum oratione *Absolve*, etc., immediate post decantationem antiphone beate Marie, quam dicunt in domo sua, cum volunt ire cubitum. In die autem

dominico dicent psalmum et orationem predicta supra tumbam dicti defuncti, pendente offertorio supradicte misse de Trinitate. Pro cujusmodi servicio per dictos pueros, ut prefertur, faciendo, prefatum capitulum tenebitur solvere, singulis annis imperpetuum, prefatis pueris triginta libras Turonensium. Item, tenebitur prefatum capitulum, singulis annis imperpetuum, celebrari facere, in ecclesia Parisiensi predicta, unum obitum solempnem, in die obitus ipsius defuncti, in quo distribuentur viginti libre Turonensium, prout in obitu dicti defuncti domini Guillermi Chartier. Item, tenebitur ulterius capitulum predictum celebrari facere, singulis annis imperpetuum, die dominica sanctissime Trinitatis, unam altam missam de Trinitate, ad memoratum altare Ardentium, in qua fiet similis pulsatio et distributio canonicis et habituatis dicte ecclesie assistentibus, sicut in missa que celebratur singulis annis, prima mercurii januarii, pro dicto defuncto domino episcopo Chartier. Item, tenebitur ulterius capitulum predictum, post decantationem antiphone *Regina celi*, que dici consuevit quotidie post matutinas, dicere, pro salute anime dicti defuncti domini Ludovici de Bello Monte, episcopi Parisiensis, orationem *Absolve, quesumus, Domine, animam famuli tui pontificis*, et cetera. Qui quidem capitulum et dominus Theobaldus de Beaumont se premissa omnia et singula bona fide facturos et adimpleturos respective promiserunt, prout et quemadmodum in litteris sub sigillo regio Castelleti confectis, in thesauro ipsius ecclesie existentibus, plenius continetur. Item, legavit et donavit prefatus dominus Ludovicus, episcopus ecclesie Parisiensis, omnia ornamenta sua pontificalia, nec non pontificales et alios ecclesiasticos libros ac plurima alia jocalia preciosa, per executores sui testamenti capitulo predicto realiter tradita et liberata, in eorum quittancia declarata; cujus tenor sequitur et est talis....

Nous, doien et chapitre de l'église de Paris, certifions à tous à qui il appartient, avoir eu et receu des biens de feu révérend père en Dieu monsieur Loys de Beaumont, en son vivant évesque de Paris, par les mains de vénérables et discrètes personnes maistres Nicolle de Hacqueville, conseiller du roi, et Jehan Boucard, noz frères et co-chanoines, exécuteurs dudit défunct, les biens qui s'ensuivent, contenuz et déclairez en l'inventoire fait des biens dudit défunct après son trespas, c'est 8 aug. 1492.

assavoir : troys nappes d'autel; item, deux paremens d'autel de damas vermeil, une chasuble, estolle, fanon dudit damas vermeil, garny d'aulbe et amict, deux custodes de taffetas vermeil, deux chandeliers de cuivre; item, trois autres nappes d'autel telles quelles, neuf servietes, une autre touaille, une aulbe et amict, une autre chasuble garnye d'estolle et fanon de camelot pers; item, une crosse d'argent doré, pesant XXI marcs; item, un calice, deux burettes, deux chandelliers, un cresmeau, une bouette pour pain à chanter, tout d'argent doré, pesant ensemble six marcs cinq unces; item, une mittre de brodeure, garnye d'argent doré, dont le champ est semé de perles avecques plusieurs chatons garniz de pierrerie, et de deux fanons pesans neuf marcs troys unces; item, troys anneaulx pontificaulx d'or, garniz chacun de son saphir, pesans cinq unces deux gros; item, ung coffre de cuir, ouquel est une chapelle, contenant deux chandelliers, deux burettes, ung lettrain, ung calice et platainne, ung benoistier garny de guypillon, un corporalier garny d'un crucifix, Marie et Jehan en haulte forme, deux bassins à laver mains, une clochete, ung cresmeau, une boette à mettre pain à chanter, garnye d'un esmail d'or, pesant le tout XLV marcs d'argent doré; item, ung autre coffre de cuir, contenant une autre chapelle garnye de deux chandelliers, ung corporalier garny de troys ymages, c'est assavoir, de crucifix, Marie et Jehan, ouquel crucifix a troys poinctes de dyamant, et ou cousté ung petit ruby, et ou couvercle dudit corporalier a ung esmail d'or, pesant cinq unces ung gros, servant à paix, ung calice patu, garny de douze esmaulx d'or ou pommeau et de deux à la platainne, ung benoistier et son guipillon, deux burettes, deux petis bassins, esquelz a deux esmaux d'or, ung cresmeau à troys tournelles, dont le pié est en façon de boette pour mettre pain à chanter, une clochete, tout d'argent doré et armoyé aux armes dudit défunct, pesant ensemble XXXIII marcs et demy, esquelles deux chapelles peut avoir deux marcs d'or; item, ung pontifical à l'usaige de Paris, escrit en parchemin, lettre de forme, relié entre deux aiz, histoiré aux armes dudit défunct, en deux volumes, le premier volume commançant ou second fueillet après la table, *Smia*, et l'autre volume commençant ou second fueillet après la table, *Mediater;* item, ung autre livre contenant *Pontificale de ordinibus*, escrit

en parchemin, lectre de forme, relié entre deux aiz, commançant ou second fueillet, *Litatis;* item, un autre pontifical *de ordinibus,* en petit volume, escrit en parchemin, lectre de impression, relié entre deux aiz de papier collé, commançant ou second fueillet, *Johannes;* item, ung autre pontifical imprimé en papier, relié entre deux aiz de papier collé, commançant ou second fueillet, *Rationi;* item, ung autre pontifical à l'usaige de Paris, escrit en parchemin, lectre de forme, par cayers, en cinq petiz volumes, non reliez ne enluminez; item, un collectaire par cayers, escrit en parchemin, lectre de forme, commençant ou second fueillet après le kalendrier, *Quitas;* item, un messel noté, escrit en parchemin, lectre de forme, relié entre deux aiz, fermant à deux fermouers d'argent à tringles d'or; item, ung autre messel à l'usaige de Paris, escrit en parchemin, lectre de forme, relié entre deux aiz, fermant à deux fermouers d'argent doré; item, ung autre petit messel à l'usaige de Paris, escrit en papier, lectre de impression, relié entre deux aiz, fermant à deux fermouers d'argent doré; item, ung autre petit messel à l'usaige de Paris, escrit en parchemin, lettre de forme, relié entre deux aiz, couvert de cuir rouge garni d'une chemisete de chevrotin rouge, fermant à deux fermouers d'argent doré; item, ung psaultier escrit en parchemin, lettre de forme, relié entre deux aiz, couvert de cuir rouge, fermant à deux fermouers d'argent doré; item, ung psaultier et ung commun garny d'un kalendrier, escrit en papier, lettre de impression, reliez entre deux aiz fermant à deux crochetz d'argent; item, ung pontifical en petit volume, escrit en parchemin, lettre ronde, relié entre deux aiz, couvert de cuir empreint, fermant à deux fermouers d'argent doré; item, ung bréviaire à l'usaige de Paris, escrit en papier, lettre d'impression, relié entre deux aiz de cuir empreint, fermant à deux crochetz; item, ung petit messel escrit en papier, lettre de impression, relié entre deux aiz, couvert de rouge, fermant à deux crochetz de léton; item, ung autre messel escrit en parchemin, lettre de forme, par cayers, complect, commançant ou second fueillet, *Ut non;* item, ung autre petit bréviaire à l'usaige de Paris, escrit en parchemin, lettre ronde, relié entre deux aiz de papier collé, fermant à esguillettes; item, ung petit journal escrit en parchemin, lettre ronde, relié entre deux aiz de papier collé, fermant à

esguillettes, couvert de cuir rouge; item, ung autre petit journal à l'usaige de Paris, escrit en parchemin, lettre de forme, relié entre deux aiz, fermant à deux fermouers d'argent doré, garny d'uue chemise de drap de damas vermeil, doublé de taffetas; item, ung petit livre de dévocions, escrit en papier, lettre ronde, fermant à deux crochetz d'argent doré, relié entre deux aiz, couvert de cuir rouge; item, ung autre livre contenant recommandaces, escrit en papier, lettre de forme, relié entre deux aiz, fermant à un crochet d'argent doré; item, ung bréviaire contenant seullement le nocturnal, tout en cayers, en papier en lettre de forme, contenant LXXIIII cayers; item, ung bréviaire à l'usaige de Paris, escrit en parchemin, lettre de forme, par cayers, contenant IIIIxx cayers; item, ung psaultier avecques le commun des saincts, escrit en parchemin, lettre ronde, contenant XX cayers; item, ung messel complect à l'usaige de Paris, escrit en parchemin, lettre romainne, en caiers, commançant ou second fueillet après le kalendrier, *Salutifere;* item, ung autre bréviaire à l'usaige de Paris, escrit en parchemin, lettre ronde petite, par caiers, et contenant en nombre soixante caiers, et s'en fault dudit bréviaire depuis la feste saint Cosme et saint Damian jusques à la fin; item, ung bréviaire à l'usaige de Paris, par caiers, escrit en parchemin, lettre ronde, imparfaict, contenant en nombre XLIII caiers; item, ung coffre d'yvire à personnages, garny et couvert d'argent doré en plusieurs lieux, icelluy argent doré extimé à huit marcs; item, ung tappiz de Turquie, contenant troys aulnes de long et aulne et demye de large ou environ. Desquelz biens nous nous tenons pour contens, et en quittons lesdits exécuteurs et héritiers dudit défunct et tous autres. En tesmoing de ce, nous avons fait signer ces présentes à nostre notaire, et séeler du séel de nostredicte église, duquel nous usons en tel cas. Fait à Paris, le huitième jour du moys d'aoust, l'an mil CCCC IIIIxx et douze.

CLXXXIV.

6 jul. circa 1230. II NON. JULII. Eodem die, obiit Philippus dictus Matricularius, concanonicus noster et subdiaconus. Qui dedit nobis, apud Yvriacum, sexaginta quatuor solidos, super hospites quos ibi acquisivit, et viginti sex solidos, super domum quam ibi edificavit in suo conquestu; pro

quibus Andreas Marescallus, prepositus Yvvriaci, qui omnia illa tenet, solvet annuatim, quamdiu vixerit prepositus Yvvriaci, sexaginta solidos Parisiensium, canonicis et majori altari servientibus qui aniversario intererunt distribuendos.

CLXXXV.

Non. julii. Eodem die, debet celebrari translatio beati Thome martiris, Cantuariensis archiepiscopi, et debet fieri semiduplum. Et capitulum tenetur in eodem festo unicuique canonicorum et majori altari serviencium distribuere duodecim denarios Parisiensium, qui matutinis intererunt, et unicuique clerico de choro, qui misse intererit, duos denarios, et quatuor clericis, qui organizabunt alleluya, cuilibet sex denarios. 7 jul.

Eodem vero die, debet celebrari anniversarium Stephani[1], bone memorie Cantuariensis archiepiscopi, et magistri Symonis[2], fratris dicti archiepiscopi et concanonici nostri. In quo anniversario tenetur capitulum Parisiense distribuere, *etc.*... Pro hiis autem distributionibus faciendis, dedit nobis magister Symon de Langnetone, concanonicus noster, archidiaconus Cantuariensis, ducentas libras Parisiensium, ad emendos redditus.

CLXXXVI.

VIII id. julii. Eodem die, obiit Giraudus, episcopus Agganensis[3], quondam decanus noster. Qui dedit nobis quatuor arpenta vinearum, in censiva nostra, apud Laiacum sita; ita quod Johannes et Haimericus, nepotes dicti Giraudi, quamdiu vixerint vel alter eorum, predicta quatuor arpenta vinearum tenebunt, et singulis annis, in anniversario prefati Giraudi, canonicis et majori altari servientibus et matriculariis sacerdotibus, cuilibet, qui vigiliis intererunt, sex denarios persolvent; et in missa similis fiet distributio. Matricularii vero laici omnes insimul duodecim denarios habebunt. Post mortem autem predictorum Johan- 8 jul. circa 1232.

[1] Stephanus Langton, archiepiscopus Cantuariensis, ab anno 1212 ad ann. 1228.

[2] Simon Langton, qui, post mortuum Stephanum, fratrem suum, ad sedem Cantuariensem a canonicis electus est. Sed hanc electionem papa et rex Angliæ confirmare noluerunt. Simon mortuus est a. 1248.

[3] Leg. *Aginnensis*. — Edit. apud Dubois, *Hist. Eccles. Paris.*, t. II, p. 334.

nis et Haimerici, predicte vinee ad nos libere revertentur. Et quicquid residuum fuerit de proventibus dictarum vinearum, totum canonicis et majori altari servientibus, tam in vigiliis quam in missa, distribuetur.

CLXXXVII.

9 jul. VII ID. JULII. De domo Sancte Marie, obiit Goderannus sacerdos; qui dedit nobis domum in claustro, ad stationem quatuor ferculorum, et quindecim libras denariorum, et pressorium, ad eam faciendam, apud Vitriacum.

Eodem die, de domo Sancte Marie, obiit Rainaldus sacerdos.

Eodem die, de domo Sancte Marie, obiit Henricus de Soilliaco, cantor Bituricensis; qui dedit nobis quadraginta libras Parisiensis monete, ad constructionem domorum nostrarum, que site sunt retro claustrum, super Secanam, juxta portum.

Circa 1290. Hic constituit capitulum Parisiense celebrari in ecclesia Parisiensi festum beatissimi Theobaldi confessoris, ad semiduplum, ad preces venerabilis viri magistri Theobaldi de Corbolio, canonici et succentoris Parisiensis. Qui legavit sexaginta libras Parisiensium, ad emendos redditus, distribuendos in matutinis dicti festi. De qua pecunia empta fuit una masura, apud Ytevillam, que data est ad censum annuum pro quatuor libris cum dimidia Parisiensibus, reddendis annis singulis, in festo sancti Remigii. Quam masuram tenet ad presens Hugo, decanus dicte ville, et Maria, ejus uxor. Et super hiis omnibus habentur littere sigillate sigillo curie officialis Parisiensis.

CLXXXVIII.

10 jul. VI ID. JULII. De domo Sancte Marie, obiit Joteri, bone memorie vir diaconus.

Eodem die, de domo Sancte Marie, obiit Jocelinus, sacerdos et capellanus episcopi; qui dedit nobis viginti quinque libras Parisiensis monete, ad denarios matutinarum, quas collocavimus in emptione viarie Andresiaci. Nos autem assignavimus quadraginta solidos annuatim solvendos, pro hiis viginti quinque libris, super decem et octo libras, quas prepositus Andresiaci reddit pro viaria.

Eodem die, de domo Sancte Marie, obiit Radulfus levita.

Ipso die, obiit Belinus, qui, pro anima sua suorumque parentum, dedit nobis quadraginta solidos annuatim reddendos, super unam domum que sedet super Parvum Pontem assignatos.

CLXXXIX.

V ID. JULII. Eodem die, obiit magister Guillermus de Bello Forti, canonicus noster. Qui dedit nobis sex libras Parisiensium annui redditus amortizatas, quas habemus annis singulis, quatuor terminis Parisius consuetis, super quadam domo et platea, sitis in censiva domini regis, supra ripariam de Gravia, contiguis, ex uno latere, molendinis de Templo Parisiensi, et, ex alio latere, cuidam ruelle per quam itur ad aquam, pro anniversario suo annuatim in ecclesia nostra faciendo; ita quod medietas distribuatur canonicis et majori altari servientibus qui vigiliis interfuerunt, et alia medietas hiis qui misse interfuerint. Matricularii vero laici duodecim tantum denarios habebunt. 11 jul. circa 1315.

CXC.

IIII ID. JULII. De domo Sancte Marie, obiit Stephanus de Blesis, presbiter, concanonicus noster; qui dedit nobis sexaginta solidos Parisienses annui redditus, quos babebat de conquestu suo, persolvendos quatuor terminis Parisius consuetis, pro anniversario suo et parentum suorum annuatim in ecclesia nostra faciendo, sitos super domum Guillelmi Cenomanensis, versus portum Sancti Lenderici, ab oppositis molendini Bertrendi, contiguam domui Petri Nórmanni, ex una parte, et domui de Lavenderia episcopi, ex altera, in censiva et dominio capituli Parisiensis.... Dedit etiam nobis decem libras Parisiensium, ad opus matutinarum. 12 jul. circa 1290.

Item, obiit, toto orbe christiano notus, Johannes Gerson, cancellarius et concanonicus noster sacerdos. 1429.

CXCI.

III ID. JULII. Obiit Odo[1], Parisiensis episcopus, in presenti sepultus ecclesia[2]; qui dedit nobis stationem panis, vini et carnium, in festo 13 jul. 1208.

[1] Odo de Solliaco.

[2] Edit. in *Gall. Christ.*, t. VII, col. 85, et apud Dubois, *Hist. Eccles. Paris.*, t. II, p. 234.

Pentecostes reddendam. Dedit etiam nobis sexaginta solidos Parisiensium, annuatim percipiendos in censu de Brunello, ad anniversarium suum. Et capitulum dedit ei et concessit quadraginta solidos, annuatim percipiendos in camera; ita quod isti centum solidi, videlicet sexaginta solidi assignati ab eo et quadraginta assignati a capitulo, distribuentur singulis annis, in die anniversarii sui, singulis scilicet canonicis et personis majori altari servientibus et matriculariis presbiteris qui anniversario intererunt, in vigilia duodecim denarios et duodecim in missa. Dedit insuper clericis chori non canonicis quadraginta libras Parisiensium, ad emendos redditus, distribuendos similiter his qui anniversario suo intererunt. Preterea instituit idem episcopus, ut natale beati Stephani sollempniter et regulariter celebretur in ecclesia Parisiensi; et dedit singulis canonicis et personis majori altari servientibus, qui matutinis festivitatis ejusdem intererunt, sex denarios, et singulis aliis clericis chori quatuor denarios, pueris autem duos denarios, singulis vero clericis qui in missa responsum vel alleluya in organo triplo vel quadruplo decantabunt, singulis sex denarios, annuatim percipiendos in prepositura Parisiensi. Dedit etiam clericis chori non canonicis, qui in festo Circumcisionis matutinis intererunt, tres denarios, singulis vero pueris duos denarios, in redditibus capitii percipiendos. Dedit insuper clericis matutinalibus medietatem oblationum crucis que proveniunt sexta feria, in passione Domini. Instituit etiam quod festum beati Bernardi Clarevallensis celebretur ad dimidium duplum in ecclesia Parisiensi; et ad hoc assignavit et dedit decimam quam emerat apud Buch; ita quod inde, singulis annis, in predicto festo distribuentur ad matutinas canonicis presentibus et quatuor matriculariis presbiteris singulis sex denarios. Si quid residuum fuerit distribuatur clericis chori, prout extendi poterit. Preterea dedit unum modium bladi, annuatim percipiendum in decima quam habuit de pace Sancti Dyonisii, ad faciendum mandatum, per manum succentoris qui ministrabit necessaria in mandato; et si quid residuum fuerit, erit succentoris. Dedit etiam ecclesie nostre unum pallium, duas cappas, unam casulam, cum dalmatica et tunica et samitio, et albam paratam, cum stola et manipulo parato et amictu, et missale ad servicium majoris altaris, et psalterium ad servicium chori, et balsamum cum cristallo, pallam

paratam cum aurifrisio, librum ordinarium, sandalia et caligas et tapetum episcopale. Dedit preterea ymaginem beate Virginis octo marcharum argenti, ad reponendum sacrum succinctorium. Statutum est autem a capitulo quod anniversarium ejus celebretur sollempniter, canonicis tenentibus chorum, in vigiliis et in missa; et missa celebretur ad majus altare. Voluit autem capitulum et concessit sacerdotem altari Sancti Stephani deservientem, quicumque fuerit, in distributione denariorum, tam in vigilia quam in missa predicti anniversarii, canonicis parem esse.

Obiit magister Galleranus de Pendref, cantor. Pro quo habuimus, de venditione domorum suarum claustralium, trecentos octogiuta tredecim francos duodecim solidos; item, in libris valorem ducentarum librarum Parisiensium et amplius.

Tercio idus julii, debet celebrari anniversarium bone memorie domini Johannis Juvenalis de Ursinis[1], quondam archiepiscopi et ducis Remensis. In quo anniversario debent distribui decem libre Parisienses.

CXCII.

II ID. JULII. Eodem die, obiit christianissimus rex Francorum Philippus[2]; qui libertatem et immunitatem ecclesie nostre et claustri nostri, quas ab antecessoribus suis habuimus, tempore suo approbavit, et fideliter et pacifice conservavit. Innovavit etiam privilegium de libertate claustri nostri, taliter confirmando, quod quicumque predictam ecclesie vel claustri libertatem vel immunitatem infringeret in centum libris Parisiensis monete ecclesie Parisiensi emendaret, vel si centum libras reddere non posset, personam illam que forisfactum fecisset, si tamen inveniri posset, et omnes res suas eidem ecclesie traderet, donec prefate ecclesie esset satisfactum. Concessit etiam, pro remedio anime sue, nobis mercatum Spedone. Preterea constituit in eadem ecclesia quatuor capellanias, duas videlicet pro anima quondam uxoris sue Elysabeth, Francorum regine, alias vero duas pro anima defuncti Gaufridi, quondam comitis Britannie; singulis eorum [capellanorum] duodecim 14 jul. 1223.

[1] Johannes (IV) Juvenalis de Ursinis, archiepiscopus Remensis, obiit die julii 14 a. 1473. Vid. *Gall. Christ.*, t. IX, col. 140.

[2] Philippus II Augustus, qui obiit die julii 14, a. 1223.

libras et dimidiam Parisiensium, annuatim percipiendas in redditibus Parisiensibus, assignans; ipsorum etiam institutionem, post decessum suum, ad capitulum pertinere concedens. Dedit quoque crucem unam de gloriosa cruce Dominica, que sibi delata fuit de partibus Constantinopolitanis. Dedit etiam partem capillorum beate Marie, tres dentes beati Johannis Baptiste, brachium sancti Andree apostoli, lapides quibus lapidatus fuit beatus Stephanus, et caput pretiosi martyris Dyonisii; que omnia in ecclesia Beati Stephani prothomartiris inventa fuerunt; insuper unciam digiti beate Katherine virginis, plurima quoque ornamenta ecclesie, videlicet dossale altaris, tapetum septem arcium honorabile, pallia plurima et magnum pallium. Preterea assignavit centum solidos Parisiensium in prepositura sua Parisiensi, ad anniversarium suum faciendum, singulis annis, in festo Omnium Sanctorum persolvendos, et canonicis et majori altari servientibus qui eidem anniversario intererunt distribuendos. De hiis autem denariis singuli matricularii sacerdotes tantummodo sex denarios in vigiliis et sex in missa percipient; matricularii vero laici, pro pulsacione sollempni, IIII solidos, capicerius IIII solidos habebunt. Statuit autem universum capitulum prefati regis anniversarium singulis annis sollempniter celebrari, et missam ad majus altare celebrari, canonicis in vesperis et in missa chorum tenentibus in capis sericis[1].

CXCIII.

15 jul. 1332? ID. JULII. De domo Sancte Marie, obierunt Hugo presul[2], Albericus, Bernardus, sacerdotes, Lambertus et Ursio, laici, Gilendis et Giberta, mulieres; quorum Hugo, pro sua anima et prescriptarum animabus, dedit nobis domum in claustro, ad stationem quatuor ferculorum, et octo arpennos vinearum, apud Suei, et dimidium.

Ipso die, de domo Sancte Marie, obiit Ivo de Mellou, archidiaconus et sacerdos; pro cujus anima et sua, Guillermus de Anvello, nepos ipsius, concanonicus noster, dedit nobis quadraginta libras Parisien-

[1] Edit. apud Dubois, *Hist. Eccles. Paris.*, t. II, p. 274.

[2] Verisimile est hic agi de Hugone II de Bisuntio, episcopo Parisiensi, cujus mors ab auctoribus *Gall. Christ.* (t. VII, col. 129) diei julii 29 a. 1332 assignatur. Hæc enim mentio Hugonis non potest referri ad S. Hugonem, a. 730 vita functum, qui solus cum Hugone de Bisuntio nomen Hugonis habuit.

sium, ad emendum partem decime de Sarceles, cum aliis denariis; sub hoc tenore, quod singulis canonicis et majori altari servientibus, qui ejusdem anniversario intererunt, sex denarii in vigilia et sex ad missam distribuentur, et duodecim matriculariis laicis. Preterea statutum est quod sacerdos qui missam celebraverit, qui, cum de servientibus majoris altaris non fuerit, sex denarios, diaconus tres, et subdiaconus totidem habebit. Si quid residuum fuerit, ad denarios matutinarum reservabitur.

Eodem die, obiit bone memorie reverendus in Christo pater et do- 1109.
minus dominus Petrus[1] de Ordeo Monte, quondam miseratione divina episcopus Parisiensis; qui in suo testamento seu ultima voluntate nobis et ecclesie nostre legavit cappellam suam integram de veluoto, seminatam stellis aureis, habentem orfreda ad arma sua[2], pro uno anniversario sollempni anno quolibet celebrando. Postmodumque heredes dicti deffuncti, considerantes et attendentes legatum hujusmodi consistere in rebus que usu consumi possunt, nobis et eidem ecclesie nostre, ad augmentationem dicti legati, dederunt et erogaverunt summam ducentorum francorum auri, in emptionem reddituum, pro fundatione dicti anniversarii convertendorum.

CXCIV.

Anno Domini millesimo trecentesimo vicesimo, die martis post 15 jul. 1320.
translationem sancti Benedicti estivalis, mense julii, obiit bone memorie magister Symon de Guibervilla, doctor in theologia, olim cancellarius et post decanus ecclesie Parisiensis[3]. Qui legavit nobis, ad opus anniversarii sui, annis singulis, in ecclesia nostra, in capis sericis, duobus canonicis chorum tenentibus, in vigilia et missa, sollempniter faciendi, et duarum missarum, quarum una erit de beata virgine Maria et alia de Spiritu Sancto, annuatim, omnes redditus, census et terras quos possidebat, tempore quo decessit, in terra seu dominio capituli Parisiensis, videlicet : decem et novem libras Parisiensium annui redditus amortisatas, quas percipiebat annuatim super avalagia vinorum

[1] Petrus IV.
[2] In *Gall. Christ.*, t. VII, col. 142.
[3] In *Gall. Christ.*, t. VII, col. 208.

subtus archam Magni Pontis Parisiensis, in festo purificationis beate Marie virginis; item, super prepositurам de Corbolio sex libras Parisiensium, anuuatim, per manus camerarii clerici ecclesie nostre predicte, termino Purificationis; item, apud Corborosam, septem quarteria pratorum vel circa, sita inter Sanctum Martinum et vada que nunc tenent Petrus Goriau et Symon de Brocha ad hereditatem, pro sexaginta solidis Parisiensium, annuatim; item, apud Andresiacum quandam masuram, sitam ad Herecourt prope Andresiacum, cum quinque quarteriis vinee retro dictam domum, eidem domui contigue, et pro duabus peciis terre, sitis ad Bele Foutaine, continentibus duo arpenta cum dimidio vel circiter, quatuor libras Parisiensium, per manum horarii ecclesie nostre predicte, annuatim, que tenet Durandus la Talc, prepositus de Andresiaco; item, apud Andresiacum, unum arpentum terre arabilis, situm subtus Urmumtelet; item, unum arpentum terre, situm supra vallem d'Orviliers; item, dimidium arpentum vinee, situm au Hormetiaus; item, dimidium arpentum vinee, situm apud Glatigni, retro domum domini de Borris; que tenet dictus Durandus prepositus ad firmam, pro quadragiuta solidis Parisiensium, annuatim; item, apud Andresiacum, unum arpentum vinee vel circiter, situm es Coustures, quod tenet Heremburgis, relicta defuncti Johannis Petit, ad firmam, pro quadraginta solidis Parisiensium, annuatim. Summa valoris dictorum anniversarii et missarum triginta sex librarum Parisiensium; de quibus viginti libre erunt pro dicto anniversario.... Octo vero libre erunt pro missa de beata Virgine.... Et residue octo libre erunt pro missa de Sancto Spiritu.... Item, legavit nobis mille libras Parisiensium, ad faciendum circa majus altare ecclesie Parisius unam tabulam argenteam ad ymagines elevatas de coronatioue beate Virginis, cum annunciatione Dominica et cum ymaginibus sanctorum Stephani, prothomartiris, et Marcelli, episcopi et confessoris; item, fabrice ecclesie Parisius quadraginta libras Turonensium; item, ecclesie Sancti Dyonisii de Passu viginti libras Turonensium, pro suo anniversario, parentum et fratrum suorum faciendo; item, ecclesie Sancti Johannis Rotondi viginti libras Turonensium, pro simili causa; item, capellanis beneficiatis in ecclesia Parisius viginti libras Turonensium, pro simili causa; item, clericis matutinarum dicte ecclesie quadraginta libras Turonen-

sium, pro simili causa; item, officio horarum dicte ecclesie decem libras Turonensium; item, officio matutinarum decem libras Turonensium; item, officio anniversariorum viginti libras Turonensium; item, officio vini dicte ecclesie decem libras Turonensium; item, ducentas libras Turonensium, quas habuimus ex venditione domus sue claustralis, quam emit pro dicto precio magister Petrus de Condeto, concanonicus noster, ad augmentationem dictarum anniversarii et missarum.

Preterea sciendum est quod, ad augmentationem dicti anniversarii, ejus exequtores dederunt nobis c libras Parisiensium, ad emendos redditus, quas camere nostre tradidimus, sub hoc tenore, quod in perpetuum teneatur solvere, in dicto anniversario, centum solidos Parisienses admortizatos, prout evidenter patet per nostras patentes, super hoc a nobis ipsis exequtoribus traditas, litteras.

CXCV.

XVII. KAL. AUGUSTI. Eodem die, obiit Petrus de Kala, vicarius Sancti Victoris in ecclesia Parisiensi. Qui dedit nobis, ad opus anniversarii sui, quatuor cameras cum jardino, sitas in vico ab oppositis Sancte Trinitatis, supra calceiam, in censiva episcopi Parisiensis, et tria quarteria vinee site apud Vitriacum, in censiva confratrie Sancte Trinitatis, quam confratres ejusdem confratrie concesserunt nobis in manu mortua, pro tribus denariis capitalis census, et tria quarteria vinee site apud Vitriacum, supra domum Petronille de Vitriaco, in censiva ejusdem Petronille. Que omnia tenet Enardus, canonicus Sancti Johannis Rotundi Parisiensis, ad vitam suam; et, quamdiu vixerit, debet solvere singulis canonicis et majori altari servientibus sex denarios in vigiliis et sex denarios in missa. Matricularii vero laici duodecim denarios tantummodo percipient. 16 jul. circa 1265.

CXCVI.

XVI KAL. AUGUSTI. De domo Sancte Marie, obiit Ascelinus sacerdos, decanus Sancti Marcelli; qui dedit nobis viginti libras, ad stationem quatuor ferculorum. 17 jul. circa 1180.

Eodem die, anniversarium Bernardi Pape et Theobaldi, filii ejus; qui dederunt nobis viginti solidos annuatim persolvendos, ad denarios

matutinarum, super domum unam sitam in paraviso, juxta domum Theobaldi de Corbolio.

1216. Eodem die, obiit pie recordationis Innocencius, papa tercius; pro cujus anima et sua propria, Stephanus de Sancto Adriano, quondam sedis apostolice cardinalis, dedit nobis centum et sexaginta libras Parisiensium, que posite fuerunt in emtione granchie versus Rosetum, que quondam fuit domicelle Flore. Et statum est a capitulo, quod de proventibus dicte granchie singulis canonicis et majori altari servientibus, qui eorumdem anniversario intererunt, duo solidi in vigiliis et totidem in missa distribuantur, matriculariis vero laicis duodecim denarii tantum. Dedit etiam idem Stephanus nobis unam crucem auream cum pede argenteo.

CXCVII.

18 jul circa 1270. XV KAL. AUGUSTI. De domo Sancte Marie, obiit magister Petrus de Lupicenis, sacerdos et capellanus episcopi; qui dedit nobis casulam paratam et quadraginta solidos de redditu, ad denarios matutinarum.

De domo Sancte Marie, obiit Galterus levita

Circa 1300. Eodem die, obiit Guillelmus archidiaconus; qui dedit nobis tres purpuras albas, de quibus facte sunt casula, dalmatica, tunica et pallium ad patenam. Dedit etiam tria pallia et unam purpuram nigram, de qua facte sunt due casule. Concessit autem capitulum [anniversarium] ejusdem archidiaconi hac die celebrari. Concessit etiam capitulum, ad preces venerabilis viri Gaufridi, archidiaconi Parisiensis, quod anniversarium magistri Petri Pulverelli simul ea die perpetuo celebretur. Qui archidiaconus dedit capitulo capitalem censum duodecim denariorum supra tres domos, sitas retro domum ipsius archidiaconi, in claustro, et quicquid juris habebat in domibus supradictis; quarum duas emit et ipsarum duarum alteram melioravit, ibi cellarium faciendo. Rogavit dictus archidiaconus, et capitulum concessit, quod medietas proventuum dictarum domorum, die hujus anniversarii distribuatur hoc modo.... Concessit etiam capitulum quod canonici, qui tempore oblationis misse intererunt, offerant presbitero missam celebranti, sicut est pro canonicis consuetum.

CXCVIII.

Anno Domini M° CCC° XVI°, XV kalendas augusti, videlicet die dominica, in festo beati Arnulphi, obiit dominus Odo de Corbolio, olim canonicus Parisiensis. Qui dedit ecclesie Parisiensi, videlicet officio matutinarum dicte ecclesie Parisiensis, octo libras Parisienses annui redditus, quas acquisivit apud Ytevillam; ita quod gerens dictum officium teneatur reddere perpetuo, annis singulis, de predictis octo libris, quadraginta solidos Parisienses, videlicet fabrice ecclesie Parisiensis viginti solidi Parisienses annuatim, et pueris chori dicte ecclesie viginti solidi Parisienses, annis singulis, pro uno anniversario ab eisdem pueris perpetuo faciendo. Item, dedit officio camere dicte Parisiensis ecclesie tria sextaria bladi, que habebat annui redditus super quodam molendino quod dicitur molendinum à la Bernarde, situm supra Magnum Pontem. Item, dedit officio horarum dicte ecclesie quatuor libras annui redditus, quas habebat Parisius, in vico Murorum, super domo Petri de Mailliaco. Item, dedit officio vini predicte Parisiensis ecclesie unum jardinum cum vinea, contiguum jardino domus quam tenebat a capitulo Parisiensi, apud Castanetum; quod quidem jardinum cum vinea emit a Guillermo dicto Boiliaue de Castaneto; ita tamen quod gerens dictum officium teneatur semel solvere reparationem dicte domus de Castaneto, si tempore obitus sui reparatione indigeret. Item, voluit dominus dictus Odo, et in suo testamento ordinavit omnia et singula bona immobilia, conquestus suos, que et quos habebat in villa et territorio de Corbolio, vendi et alienari per exequtores suos; et de pecunia exinde habenda voluit emi per dictos exequtores suos redditus amortizatos, quos voluit assignari et liberari officio anniversariorum dicte ecclesie Parisiensis, sub modis et conditionibus infrascriptis. Qui quidem exequtores, de voluntate et assensu capituli Parisiensis, predicta bona omnia et singula immobilia ac conquestus permutaverunt et permutationis nomine sive in purum escambium tradiderunt, quitaverunt et concesserunt venerabili et discreto viro magistro Philippo Conversi, canonico Parisiensi, pro quadraginta quinque libris Parisiensibus annui et perpetui redditus amortizatis; quas quadraginta quinque libras Parisienses dictus magister Philippus eisdem exequto- 18 jul. 1316.

ribus, nomine permutationis sive in purum escambium, ex nunc perpetuo tradidit, assedit, quitavit et concessit in manu mortua, sine coactione vendendi vel extra manum ponendi seu financiam inde prestandi, Parisius, in hiis locis, videlicet totam halam bladi, que in Civitate, in vico Judearie, quo panes venduntur, extitit, cum juribus et consuetudinibus quibuslibet ad ipsum magistrum in dicta hala spectantibus, contiguam domui domini Jacobi de Brueriis, ex una parte, et domui Beatricis Pisarie, ex altera, et se retro pretendentem usque in vicum Fabarum, ex dicti magistri Philippi conquestu moventem, in precio et sub estimatione seu valore viginti sex librarum Parisiensium annui et perpetui redditus amortizatarum; item, domos quasdam, ex ipsius magistri conquestu modo simili moventes, ultra Parvum Pontem, in vico Saqualie situatas, contiguas domui Johannis Maugeri, chauvrerii, ex una parte, et domui magistri Johannis de Luperis, ex altera, retro vero jardino Thome Scoti, cordubernarii, sub estimatione similiter et valore quindecim librarum Parisiensium annui et perpetui redditus amortizatarum; item, et residuas quatuor libras annui redditus amortizatas, super halis que Parisius secus murum cymiterii Sanctorum Innocentium supra Lingerias extitit [*sic*], de summa duodecim librarum Parisiensium census annui, quas idem magister in communione tamen decem librarum redditus, ecclesie Parisiensi debitarum, ex suo conquestu percipiebat ibidem. Quas siquidem quadraginta quinque libras exequtores dicti defuncti, nomine exequtorum, tradiderunt venerabilibus et discretis viris decano et capitulo ecclesie Parisiensis, et per eos ipsi officio anniversariorum ipsius ecclesie liberaverunt, sub modis tamen, conditionibus et onere, in testamento dicti defuncti contentis, videlicet quod dictum officium oneretur et teneatur de dictis redditibus amortizatis solvere annuatim decem libras et decem solidos Parisiensium annui redditus, pro quadam missa, qualibet die celebranda, de *Requiem*, ab uno capellanorum ecclesie Parisiensis, in capella quam fundavit defunctus dictus Grimerius de Vicecionibus, olim canonicus Parisiensis, in qua suam elegit sepulturam; et constituatur qualibet septima unus dictorum capellanorum; et solvantur eidem, pro qualibet septimana, tres solidi et sex denarii Parisienses, secundum ordinationem bone memorie domini Symonis, quondam

episcopi Parisiensis, ad altare Sancti Rigoberti. Voluit eciam quod constituatur unus dictorum capellanorum ad custodiendum clavem dicte capelle et ornamenta ejusdem, ad administrandum capellano qui pro septimana celebrabit in eadem; et habeat pro dicta administratione de dictis decem libris et decem solidis viginti quatuor solidos Parisienses annuatim. De residuo vero dictorum reddituum voluit fundari in ecclesia Parisiensi perpetuo unam missam de beata virgine Maria, anno quolibet, et unum sollempne anniversarium ad majus altare et in capis siricis; ita quod in dicta missa de beata Virgine et in anniversario distribuantur due partes pecunie pro eisdem assignandis canonicis et majori altari deservientibus, et tercia pars beneficiatis et pueris chori ecclesie Parisiensis, prout exequtores sui, secundum facultatem dictorum reddituum, duxerint ordinandum. Qui quidem exequtores, virtute et potestate clausule in dicto testamento contente, ordinaverunt quod missa de beata virgine Maria fiat anno quolibet, in crastino festi ascensionis Domini, decem libris Parisiensibus in ipsius celebratione distributis.... Item, in anniversario bone memorie domini Reginaldi, quondam episcopi Parisiensis et avunculi dicti defuncti domini Odonis, matriculariis laycis, pro pulsatione campanarum, quinque solidi, et capicerio, pro luminari, duo solidi Parisienses. Sollempne vero anniversarium dicti defuncti domini Odonis fiet in die sancti Arnulphi; et distribuuntur viginti quatuor libre Parisienses, *etc.*

CXCIX.

XIIII KAL. AUGUSTI. De domo Sancte Marie, obiit Garinus subdiaconus et Symon subdiaconus. 19 jul.

Eodem die, faciendum est anniversarium Roberti Pulli, canonici Carnotensis, et Guillelmi Pulli[1], canonici Parisiensis, et Johannis de Roia, archidiaconi Rothomagensis. Qui dederunt nobis sexaginta libras Parisiensium, positas in emptione decime de Loncgemel; videlicet dictus Guillelmus viginti libras, et predictus Johannes quadraginta; de quarum proventibus medietas distribuetur canonicis et majori altari servientibus in sero, et alia medietas in mane.

[1] Guillelmi Pulli mentio frequens in chartulario nostro ad annos 1225, 1230 vel circa. (Vide Indicem general. ad verb. *Pullus* (*Guillelmus*) *canon. Paris.*)

CC.

20 jul. XIII kal. augusti. De domo Sancte Marie, obiit dominus Andreas de Marolio, capellanus regis; qui dedit ecclesie Parisiensi, ad opus anniversarii sui, centum libras Turonensium. De qua pecunie summa capitulum Parisiense emit a Symone de Pissiaco, canonico Noviomensi, et a Martino Ace, de Medonta, duas partes, scilicet duodecimam a Symone predicto, et octavam a Martino predicto; quas partes ipsi habebant super quoddam molendinum, situm subtus Magnum Pontem, quod vocatur molendinum Theobaldi Cambellani. Erat autem dictum molendinum antea predicti capituli Parisiensis, exceptis illis duabus partibus supradictis. Post hec autem ordinavit capitulum quod camera Parisiensis percipiet de cetero integre fructus et exitus dicti molendini; et tenebitur solvere quicumque erit camerarius quatuor libras cum dimidia, pro empcione predictarum duarum parcium, in anniversario predicti Andree distribuendas.

CCI.

22 jul. XI kal. augusti. Eodem die, debet fieri unum de anniversariis Raymondi de Claro Monte[1], canonici Parisiensis; in quo distribuentur census quos ecclesie Parisiensi legavit, prout in ejus principali anniversario, quod fit x kalendas octobris, plenius continetur.

CCII.

23 jul. circa 1180. X kal. augusti. De domo Sancte Marie, obiit Albertus precentor; qui dedit nobis, apud Liricantum, domum quandam et granchiam cum omnibus appendiciis suis, cum omni materia ligni et ferri, duas carucatas boum et torcular situm in atrio Sancti Maturini. Capitulum vero concessit ei duas carucatas terre, salva tamen canonicis, ibidem habentibus prebendas suas, campiparte et decima, et totam terram nemoris de Torrentiaco cum omnibus fructibus ipsius. Idem vero Albertus dedit nobis missale, lectionarium, antiphonarium, gradale, psalterium cum hymnis, duos troperios, duos versarios, vas etiam

[1] Raimundus de Claro Monte vita functus est circa a. 1235.

argenteum ad patenam ibidem colloeandam. Idem etiam dedit nobis octo arpennos vinearum : apud Orliaeum duos, apud Montem Civvri tres et dimidium, juxta Sanctum Victorem duos, et domum apud Termas sitam, cum dimidio arpenno vinee, eidem domui adherente, ad stationem quatuor ferculorum. Preterea idem capitulum constituit, ut quicumque habuerit domum ipsius Alberti precentoris, idem habeat predictos arpennos vinearum et domum de Termis cum dimidio arpenno vinee; ita tamen quod capitulo liceat tres arpennos vinearum domui illi adherentium, ad communitatem pertinentes, per domum illam excolere libere, et ea que ad usum et ad necessitatem vinearum pertinent reservare, et fructus tempore vindemiarum ibidem recipere. Pro his omnibus stationem faciet, et unicuique clerico qui fuerit ad matutinas, in festo Marie Magdalene, quatuor denarios dabit, et matricularii duodecim; et in assumptione beatissime virginis Marie luminare faciet ex decem libris cere ad pondus majoris libre. Preterea quicumque habiturus est domum predictam ejusdem precentoris, habebit quatuor culcitras cum totidem pulvinaribus, que ad ipsam domum pertinent. Idem vero precentor adjecit tres culcitras cum totidem pulvinaribus, septem lectos, quinque scanna, cathedram unam, duas mensas; et hanc supellectilem habebunt qui domum predictam possidebunt. Dedit etiam nobis idem precentor Albertus viginti libras Parisiensis monete, ad sedes novi chori faciendas. Capitulum vero Beate Marie concessit eidem Alberto precentori anniversarium ipsius fieri in festivitate beate Marie Magdalene, quacumque die ipse decesserit.

Eodem die, anniversarium Theobaldi et Richeldis, patris et matris domini Hugonis Canis, canonici Sancti Johannis Rotundi; ad cujus preces, capitulum prefatum anniversarium fieri concessit. Predictus vero Hugo dedit nobis quadraginta libras Parisiensium, ad emendos redditus.... Concessit autem capitulum prefato Hugoni, post mortem suam, anniversarium suum simul cum predictis parentibus eadem die celebrari. Ne vero super pondere cere predicto, processu temporis, oriretur dubitatio, declaratum est per capitulum Parisiense, de consensu Gaufridi, decani Parisiensis, qui nunc tenet dictam domum claustralem, quod tam ipse quam illi, qui post eum dictam domum tenebunt, facient luminare in duabus herciis de triginta quatuor libris cere, ad Circa 1220.

libram que nunc communiter est in usu; ita quod hercie cereis erunt plene.

CCIII.

25 jul. 1030. VIII KAL. AUGUSTI. De domo Sancte Marie, obiit Franco episcopus[1] et Gilbertus sacerdos.

Circa 1220. De domo Sancte Marie, obiit magister Guillelmus de Monte Morenciaci, quondam succentor Parisiensis. Qui legavit ecclesie Parisiensi quamdam domum, que dicitur domus Gaufridi carpentarii, sitam Parisius ultra Parvum Pontem, in vico Sancti Severini, contiguam domui defuncti Guillelmi, quondam archipresbiteri Sancti Severini Parisiensis, ex una parte, et domui defuncti Johannis Conversi et Aveline, ejus uxoris, ex altera, in censiva et dominio Sancti Germani de Pratis. Hec domus amortizata est, et sunt littere in thesauro; post hec fuit tradita ad censum VIII librarum. Que domus honerata est tantummodo in quatuor libris et duodecim solidis et dimidio Parisiensium incrementi census, solvendis personis et terminis inferius nominatis, videlicet in triginta quatuor solidis Parisiensium domino regi, duobus terminis, scilicet in festo sancti Johannis Baptiste et in nativitate Domini; item, in quinquaginta solidis sex denariis minus, solvendis familie defuncti Marcelli dicti Ragis, quondam civis Parisiensis, quatuor terminis, scilicet quatuordecim solidos et tres obolos in festo beati Remigii, et sex solidos et tres obolos in nativitate Domini, et in Pascha viginti tres solidos et tres obolos, et in nativitate beati Johannis sex solidos et tres obolos; item, in novem solidis solvendis in festo beati Remigii, videlicet tres solidos relicte defuncti Nicholai Arrodo, quondam civis Parisiensis, et sex solidos presbitero curato Sancti Severini Parisiensis. Voluit autem predictus Guillelmus quod anniversarium suum fieret in ecclesia Parisiensi, et quod, post solutionem predictorum censuum, omnes proventus predicte domus distribuantur isto modo, *etc*.... voluit etiam dictus Guillelmus quod presbiter Sancti Severini percipiat de cetero octo solidos Parisiensium de proventibus diete domus, pro anniversario suo et Imburgis de Paliciolo faciendo in ecclesia Sancti Severini. Matricularii autem laici XII^cim^ denarios habebunt.

[1] In *Gall. Christ.*, t. VII, col. 47, et apud Dubois, *Hist. Eccles. Paris.*, prima editione, p. 636.

CCIV.

VII KAL. AUGUSTI. Eodem die, obiit Hersendis[1]; pro cujus anima et sua, Hugo decanus, filius ejus, dedit nobis redditus quos emit apud Spedonam, centum libris et quinquaginta solidis, a Radulfo Broutesauz. Et voluit ut de predictis redditibus capitulum, vel qui eos redditus, nomine capituli, possidebit, decem solidos, in die anniversarii ejusdem Hersendis, matris sue, hospitali Beate Marie, ad refectionem pauperum reddat, *etc.* Voluit etiam ut de predictis redditibus singuli clerici de choro qui in die festivitatis beati Johannis Evangeliste, que tercia die a nativitate Domini celebratur, matutinis intererunt, tres denarios habeant. Qui vero in majori missa, eodem die, responsum vel alleluya in organo, vel triplo sive quadruplo, cantabunt, singuli sex denarios habeant. 26 jul circa 1200.

Eodem die, obiit bone memorie reverendus in Christo pater et dominus, dominus Robertus[2] de Dangello, quondam miseracione divina episcopus Nivernensis. Qui sua bona voluntate et affectione, pro uno anniversario sollempni, in ecclesia nostra, quolibet anno celebrando, dedit nobis et concessit tres caudas vini, capiendas et habendas annuatim in et super terras nostras de Montibus et Ablone super Secanam; ac eciam nobis donavit quamdam peciam nemorum nuncupatam la Poumeraie, sitam juxta nemora nostra de Villeziaco, prope Villam Davray, convertendam pro fundacione dicti obitus solennis. 1430.

CCV.

VI KAL. AUGUSTI. Obierunt Radulphus Joseph, pargamenarius, et Maria, uxor ejus. In quorum anniversario debent distribui sexaginta solidi de denariis horarum canonicis et majori altari servientibus; ita quod matricularii laici habeant duodecim denarios. De quorum defunctorum bonis habuimus septuaginta libras Parisiensium positas in emptione. 27 jul.

[1] Hersendis, uxor Roberti Clementis, domini de Mees in pago Vastinensi, et mater Hugonis Clementis, decani Parisiensis.

[2] Robertus III.

CCVI.

28 jul. circa 1200. V kal. augusti. De domo Sancte Marie, obiit Mauricius archidiaconus. Qui dedit nobis cappam purpuream, et sex solidos censuales, et duas consuetudines, et vineam in Morier, et dimidiam masuram contiguam vinee, et aream Gurgitis apud Andrisiacum; pro quibus omnibus, prepositus de Andrisiaco tenetur reddere quinquaginta solidos annuatim. Dedit etiam nobis quadraginta libras Parisiensium, ad emendum medietatem portus de Andrisiaco. Et ex predictis quinquaginta solidis et redditibus portus, die anniversarii sui, singuli canonici et qui majori altari deserviunt sex denarios ad vesperas et sex ad missam, et singuli clerici qui anniversario intererunt duos denarios ad vesperas et duos ad missam percipient; et, si quid residuum fuerit, ad denarios matutinarum reservabitur. Dedit etiam clericis matutinalibus decem libras Parisiensium, ad emendos redditus.

CCVII.

29 jul. 1236. IIII kal. augusti. De domo Sancte Marie, obiit Guermundus levita. Item, obiit illustris regina Ysemburgis[1], quondam uxor christianissimi regis Francorum Philippi bone memorie. Pro cujus anima, executores testamenti ipsius regine dederunt ecclesie Beate Marie pallium ex samicio rubeo brodatum, ad opus majoris altaris, et quadraginta libras Parisiensium, positas in emptione decime de Longo Gemello; unde canonici et majori altari servientes, qui vigiliis anniversarii ejus intererunt, sex denarios, et qui misse intererunt similiter sex denarios habebunt. Matricularii vero laici insimul duodecim denarios habebunt.

CCVIII.

30 jul. III kal. augusti. Hic debet fieri missa de beata Maria, pro domino Johanne Hector; qui dedit nobis decem libras et duodecim solidos Parisiensium, percipiendos quatuor terminis Parisius consuetis, sic: videlicet supra domum sitam apud capicium Sancti Landerici Parisiensis,

[1] Isemburgis seu Ingelburgis, Danorum regis filia, Philippi Augusti uxor, in ecclesia S. Johannis in Insula prope Corbolium, quam ipsa condiderat, sepulta. Vid. *Hist. Eccles. Paris.*, t. II, p. 388; et *Bibliothèque de l'École des Chartes*, t. VI, p. 118.

inter domum Andree de Sancto Lazaro et domum Clare Brice, septem libras cum dimidia, amortizatas per regem; item, quinquaginta solidos in villa de Areinville, videlicet in duobus sextariis tam bladi quam avene, una droictura cum dimidia et octava parte unius, novem denarios census, in festo sancti Remigii; item, sex solidos cum dimidio in tallia de termino sancti Andree; item, in emendis et aliis; pro amortizatione quorum decanus Parisiensis habebit singulis annis duodecim solidos, in termino sancti Martini, de redditibus supradictis. Que omnia empta fuerunt a Petro dicto le Bouc, armigero, pro precio viginti librarum Parisiensium. Cujus pecunie decem libre Parisiensium distribuentur in dicta missa.... Post decessum vero dicti domini Johannis convertetur missa in ejus anniversario et Ysabellis[1], quondam regine Francie, in quo distribuentur decem libre predicte.

CCIX.

II KAL. AUGUSTI. De domo Sancte Marie, obiit magister Gaufridus de Giemo, canonicus et penitentiarius Parisiensis. Qui, ob remedium anime sue et benefactorum suorum, legavit ecclesie Parisiensi duo arpenta vinee, sita apud Civilliacum, in loco qui dicitur Via Capree, in duobus locis, in censiva et dominio capituli Parisiensis, onerata de redditu qui vulgariter appellatur quarta et tallia. Item, legavit idem magister quatuor arpenta terre arabilis, apud predictam villam de Civilliaco; quorum tria sunt in una pecia, sita in territorio quod dicitur Via de Orliaco, aliud autem arpentum situm est in loco qui vocatur Via de Rungiaco, et sunt in censiva et dominio predictis, onerata de redditu supradicto qui vocatur quarta; et debent talliam consuetam. Item, legavit septem quarteria terre arabilis, sita apud Balnelum; de quibus unum arpentum situm est in loco qui dicitur Garlande, contiguum terre Sancti Johannis Rotondi, ex una parte, et, ex altera, terre Nicholai de Monsterolio, oneratum in duobus denariis capitalis census, debitis capitulo Parisiensi, in festo sancti Remigii annuatim; alia autem tria quarteria sita sunt in loco qui dicitur Paroi, in predicta censiva et dominio, onerata in tribus denariis census, debitis in festo sancti Remigii annuatim. Capitulum vero, tanti beneficii non immemor, con-

31 jul. 1297.

[1] Isabella de Hannonia, sicut nobis videtur, uxor Philippi Augusti prior, mortua a. 1183.

stituit anniversarium predicti magistri Gaufridi fieri annis singulis, in ecclesia Parisiensi.... Preterea adjecit idem magister Gaufridus anniversario suo predicto unum arpentum prati vel circiter, situm in riparia de Laiaco, oneratum in undecim denariis census tantummodo, debitis annuatim capitulo Parisiensis, in festo beati Remigii. In quo arpento voluit idem magister quod dominus Johannes Bibens Aquam, canonicus Sancti Dyonisii de Passu, habeat, quamdiu idem Johannes vixerit, usumfructum; post decessum vero ejusdem Johannis, dictum pratum in augmentum dicti anniversarii, una cum predictis terris et vineis, libere et pacifice revertetur.... Actum anno Domini M° CC° nonagesimo septimo, II kalendas augusti[1].

Semper debet fieri [anniversarium predictum] in sero festi Magdalenes, ad majus altare, in capis sericis. Pro luminari XII denarios matricularii laici [habebunt], pro pulsacione duos solidos.

CCX.

1 aug. 1292. Kal. augusti. Obiit Johannes, Dei gracia, tituli Sancte Cecilie presbiter cardinalis[2]; qui legavit ecclesie Parisiensi centum libras Parisiensium, pro emendis redditibus, pro anniversario suo in ecclesia Parisiensi annis singulis faciendo. De qua summa pecunie sexaginta quatuor libre implicate fuerunt in emptione decime quam habebat dominus Petrus Trijot, miles, super terras et vineas grangie nostre de Corborosa et super quasdam alias terras et vineas, in territorio dicte grangie. Constitutum est autem in capitulo quod possessor dicte grangie dictam decimam recipiet, et persolvet de cetero quatuor libras Parisiensium, annis singulis, in anniversario predicti Johannis distribuendas canonicis et majori altari servientibus qui intererunt in vigilia et in missa; et matricularii duodecim denarios habebunt. Preterea executores dicti defuncti dederunt nobis sexaginta libras Parisiensium, convertendas et implicandas in augmentum dicti anniversarii; ita tamen quod clerici et capellani qui intererunt in anniversario aliquid percipiant de redditu empto de sexaginta libris predictis.

[1] Relatum in *Hist. Eccles. Paris.*, t. II, p. 527.

[2] Johannes Cholatus, a Martino papa IV nominatus cardinalis anno 1281, et mortuus anno 1292. Vid. *Hist. Eccles. Paris.*, t. II, p. 575.

CCXI.

IIII NON. AUGUSTI. De domo Sancte Marie, obiit Burchardus, levita. 2 aug. 1060.

Et ipso die, obitus Henrici[1], regis Francorum; qui dedit nobis ecclesiam Sancti Stephani cum decima bladi et vini de Balneolo et tribus arpennis vinearum, eidem ecclesie adjacentibus. De quibus facienda est statio in die inventionis beati Stephani[2]; cujus participes sunt nobiscum canonici Beati Dyonisii; et preterea canonici Beati Stephani omnes insimul tantummodo quantum unus de canonicis nostris percipiunt.

De domo Sancte Marie, obiit Hugo de Caprosia dictus Aculeus, diaconus. Circa 1250. Qui dedit nobis quatuordecim arpenta terre arabilis, sita tam apud Laiacum, Civilliacum, quam apud Rungiacum, et dimidium arpennum vinee et dimidium arpentum terre, sita apud Orliacum, que omnia sita sunt in censiva nostra; item, arpentum et dimidium vinee, situm apud Vitriacum. Que arpentum et dimidium, cum ea in manu mortua tenere non possemus, vendidimus, sexaginta et decem libras Parisiensium recepimus pro eodem. Nos vero, accepti beneficii non immemores, statuimus et ordinavimus, ad preces ejusdem Hugonis, anniversarium suum fieri in ecclesia Parisiensi, et in festo sancti Jacobi apostoli, quod est mense julio, celebrari in eadem ecclesia semidupplum. Debent autem omnes proventus dictarum terrarum et vinearum distribui canonicis et majori altari servientibus.... Preterea sciendum est quod idem Hugo dedit nobis, ad opus celarii nostri, omnia ferrata et dolia que Parisius habebat.

CCXII.

II NON. AUGUSTI. De domo Sancte Marie, obiit bone memorie dominus Adrianus papa quintus[3], qui antea vocabatur dominus Octobonus, Sancti Adriani diaconus cardinalis, concanonicus noster. Qui legavit nobis in testamento suo digitum beati Johannis Baptiste, capsulam, thunicam et dalmaticam de samitio rubeo, et ducentas libras Turonensium, implicandas ad opus anniversarii sui, in Parisiensi 4 aug. 1276.

[1] Henricus I, defunctus anno 1060, die 29 augusti.

[2] Id est, 3 aug.

[3] Electus die 11 julii a. 1276, mortuus die 18 augusti ejusdem anni.

ecclesia celebrandi. Dedit etiam nobis antea, dum viveret, capsulam, thunicam, damalticam et cappam de samicio rubeo; item, capsulam, thunicam et dalmaticam de dyapro albo. Capitulum vero, non immemor collati beneficii, voluit et concessit quod, de proventibus terre de Velesi, distribuerentur canonicis et majori altari servientibus sex libre Parisiensis monete.

Eodem die, obiit dominus Huguelinus de Lavania, canonicus Parisiensis et cantor dudum Meldensis. Qui dedit nobis sexaginta libras Parisiensium; de quibus habemus quinquaginta quatuor solidos Parisiensium annui redditus, capiendos in bursa capituli.

CCXIII.

5 aug. circa 1129. NON. AUGUSTI. Obiit Ansellus, precentor Jerosolimitanus; qui dedit nobis pretiosissimam partem dominice crucis. Cujus anniversarium debet fieri prima dominica augusti, quam in honore ejusdem crucis, tunc ad nos transmisse, sollempniter celebramus.

Circa 1240. De domo Sancte Marie, obiit Bartholomeus diaconus, cancellarius Carnotensis; pro cujus anima, canonici et majori altari deservientes, qui vigilie anniversarii intererunt, sex denarios, et qui misse intererunt similiter sex denarios percipient, et matricularii duodecim. Ad hoc autem faciendum, tenetur solvere triginta solidos annuatim quicumque erit prepositus de Vernoto, et triginta in anniversario Theobaldi episcopi, in ejusdem Theobaldi anniversario distribuendos, pro decima quam retraxit idem Bartholomeus a sacerdote de Vernoto.

CCXIV.

6 aug. circa 1270. VIII ID. AUGUSTI. De domo Sancte Marie, obiit magister Johannes de Parisius, dictus Barberius, archidiaconus ecclesie Suessionensis; qui legavit nobis centum libras Parisiensium, ad redditus emendos, ad opus anniversarii ejusdem, nec non Gaufridi et Marie, parentum suorum, ac bone memorie Nevelonis Suessionensis[1], Guillelmi Belvacensis[2], Reginaldi Parisiensis[3], quondam episcoporum, dominorum suorum,

[1] Nivelo II de Basilicis, mortuus a. 1262.

[2] Guillelmus I de Gressibus, vita functus a. 1267.

[3] Reginaldus III de Corbolio, qui obiit a. 1268.

et aliorum benefactorum, parentum et amicorum suorum, in Parisiensi ecclesia, annis singulis faciendi.... Item, legavit ecclesie Parisiensi quatuordecim libras Parisiensium annui redditus, quas habebat Parisius, ad opus cujusdam capellanie, ab ipso collate Odoni, clerico suo, quam in Parisiensi ecclesia fundari voluit et precepit. Pro quarum quatuordecim librarum amortizacione procuranda, legavit centum libras Parisiensium. Cujus capellanie collatio ad Parisiense capitulum de cetero pertinebit. Item, legavit clericis matutinalibus ecclesie Parisiensis centum libras Turonensium, pro redditibus emendis. Quas centum libras, ad opus anniversarii legatas, capitulum implicavit in emptionem sex librarum annui census super quadam domo, de novo edificata, sita Parisius, supra Magnum Pontem, supra molendinum Sancti Germani Autissiodorensis, Parisiensis, in censiva capituli Parisiensis, habendarum et percipiendarum de duodecim libris Parisiensium augmentati census, venditis capitulo Parisiensi, super dicta domo, a Martino Aconis et ejus uxore, ad opus anniversari dictii Johannis et anniversarii bone memorie Petri de Charniaco, quondam canonici Parisiensis et postmodum archiepiscopi Senonensis. Insuper executores testamenti dicti Johannis dederunt ecclesie Parisiensi sexcentas libras Parisiensium, ad emendos redditus, pro pane distribuendo in magna missa, sub forma que placuerit capitulo, et centum libras, ad opus thece sancti Marcelli Parisiensis, nec non et centum libras Parisiensium, ad opus cortinarum que de novo sunt incepte in ecclesia Parisiensi.

CCXV.

VII ID. AUGUSTI. De domo Sancte Marie, obiit Hugo subdiaconus, et Arnulfus diaconus; qui dedit nobis domum in claustro, ad stationem quatuor ferculorum, et quinque arpennos vinee Succi, Balneoli et Fontauetis. 7 aug.

Eodem die, obierunt Robertus Clemens et Henricus, domini regis marescallus[1]. Quorum anniversarium universum capitulum Parisiense, ad preces Hugonis decani, eorumdem fratris, fieri concessit; et statuit quod canonici et majori altari servientes et matricularii sacerdotes, qui Circa 1200.

[1] De his vide *Gall. Christ.*, t. VII, col. 199.

vigiliis supradicti anniversarii intererunt, sex denarios habebunt.... Preterea voluit idem capitulum et statuit, ut, de redditibus domus in qua venduntur carnes et panis apud Liricantum, quam dictus decanus acquisivit tam de suis denariis quam de denariis Theobaldi de Viri, de quibus redditibus ejusdem Theobaldi anniversarium debet fieri, prout statutum est, supradicta fiat distributio.

CCXVI.

8 aug. 1274. VI ID. AUGUSTI. Eodem die, obiit bone memorie Petrus de Charniaco[1], archiepiscopus Senonensis, quondam canonicus Parisiensis. Qui dedit nobis centum et decem libras Parisiensium, ad opus anniversarii sui, quas implicavimus in emptionem sex librarum Parisiensium annui census, super quadam domo, sita Parisius, supra Magnum Pontem, supra molendinum Sancti Germani Autissiodorensis, Parisiensis, in censiva capituli Parisiensis, habendarum et percipiendarum annuatim de duodecim libris Parisiensium augmentati census, venditis capitulo Parisiensi super dicta domo a Martino Aconis et ejus uxore, tam ad opus dicti anniversarii pro medietate, quam pro alia medietate ad opus anniversarii magistri Johannis de Parisius, quondam canonici Parisiensis et archidiaconi Suessionensis ecclesie. Que sex libre distribuentur canonicis et majori altari servientibus.

CCXVII.

9 aug. V ID. AUGUSTI. De domo Sancte Marie, obiit Gaufridus, decanus quondam Sancti Audomari; qui dedit ecclesie Parisiensi centum libras Turonensium, pro redditibus acquirendis, pro anniversario suo faciendo. Capitulum vero anniversarium ejusdem statuit fieri annis singulis; in quo debent distribui sexaginta solidi Parisiensium canonicis et majori altari servientibus, in vigiliis et in missa.

Predictos autem sexaginta solidos solvet camera Parisiensis, die anniversarii, de proventibus domorum novarum que sunt in cuneo vici Sancte Marine; in quarum domorum constructione predicta pecunia fuit de consensu capituli implicata.

[1] Petrus IV, qui obiit die 16 augusti a. 1274.

CCXVIII.

IIII ID. AUGUSTI. De domo Sancte Marie, obiit Herbertus.

Anno Domini millesimo ccc° secundo, recepit capitulum Parisiense a venerabili et discreto viro magistro Petro de Sancto Audomaro, archidiacono Brie in ecclesia Parisiensi, centum duodecim libras Parisiensium, conversas in emptionem quadraginta librarum Parisiensium annui et perpetui redditus, quas emit capitulum, apud Andresiacum, a nobili viro domino Roberto de Ruppe Guidonis, milite, et ejus uxore, pro precio mille centum et viginti librarum Parisiensium[1].... Et, post ejus decessum, capientur in bursa capituli, anno quolibet, quatuor libre Parisiensium, de quibus annuatim anniversarium predicti archidiaconi celebrabitur in ecclesia Parisiensi supradicta. Item, dedit nobis septuaginta solidos Parisienses annui redditus, quos emerunt ejus executores super terram de Scutellis, pertinentem ad officium anniversariorum, distribuendos in ejus anniversario. 10 aug. 1302.

CCXIX.

III ID. AUGUSTI. De domo Sancte Marie, obiit Theobaldus de Viriaco, subdiaconus; qui dedit nobis quadraginta libras Parisiensium, ad emendum redditus. 11 aug. circa 1220.

CCXX.

II ID. AUGUSTI. De domo Sancte Marie, obiit reverendus pater bone memorie magister Petrus de Capella, cardinalis; qui dedit nobis quatuor libras Parisiensium annui redditus, percipiendas et recipiendas, annis singulis, a possessore domus de Menchecourt, in territorio de Vernoto, in festo purificacionis beate Marie.... Item, dedit nobis sex libras modo Turonensium annui redditus, super terram de Scutellis, capiendas super officium anniversariorum et ut supra distribuendas. 12 aug.

CCXXI.

ID. AUGUSTI. De domo Sancte Marie, obiit Godefridus subdiaconus; qui dedit nobis cappam pallii. 13 aug.

[1] Conf. cum charta 6 jul. 1302, superius edita, t. II, p. 523.

CCXXII.

14 aug. 128?. XIX KAL. SEPTEMBRIS. De domo Sancte Marie, obiit Gaufridus de Barro, tituli Sancte Susanne presbiter cardinalis et decanus noster[1]; qui dedit ecclesie Parisiensi medietatem cujusdam molendini quod vocatur Toillom, apud Suci, in censiva capituli Parisiensis. Est autem honerata dicta medietas in uno denario census fundi et in undecim solidis annui census camere Parisiensi, et in quinque solidis duobus denariis et obolo tallie, debitis in festo beati Audree. Concessit autem capitulum anniversarium ejus fieri, singulis annis, in ecclesia Parisiensi; in quo omnes proventus et exitus dicte medietatis dicti molendini debent distribui.... Proventus autem dicte medietatis molendini debent valere quolibet anno centum solidos Parisiensium vel plus.

CCXXIII.

15 aug. circa 1235. XVIII KAL. SEPTEMBRIS. De domo Sancte Marie, obiit Guido de Palatiolo, canonicus noster. De cujus elemosina recepimus quinquaginta libras Parisiensis monete; que, cum aliis quinquaginta libris, quas de elemosina reverendi patris Galteri, quondam Senonensis archiepiscopi, habuimus, implicate sunt apud Civiliacum in redditibus, videlicet in campiparte, censu, droituris et obliis. Quorum reddituum medietas in anniversario predicti Guidonis debet distribui ... Sciendum etiam est quod, in augmentum dicte distributionis faciende in predicto anniversario, de elemosina dicti defuncti dati nobis fuerunt duodecim denarii capitalis census et omnes proventus qui de censiva debent et possunt obvenire, debiti de quadam domo et ejus pertinenciis, sita apud Palatiolum; que domus vulgariter dicitur Cellarium. Qui census reddi debet Parisius annuatim, in crastino beati Dyonisii, a possessoribus ipsius domus distributoribus qui pro tempore fuerint distributores anniversariorum. Preter hec, sciendum est quod, in augmentum predicte distributionis, postmodum empti fuerunt quinque solidi Parisiensium annui redditus a parrochianis de Sancto Albino, qui

[1] In *Gall. Christ.*, t. VII, p. 207; et in *Hist. Eccles. Paris.*, t. II, p. 572

eos habebant apud Civiliacum, prout hec omnia plenius continentur in litteris de predicta emptione confectis, sigillo curie Parisiensis sigillatis.

CCXXIV.

XVII KAL. SEPTEMBRIS. Eodem die, depositio Stephani comitis et Amaltrudis, uxoris ejus; qui dederunt nobis Suci villam cum omnibus appendiciis suis[1]. Quorum anniversarium in ecclesia nostra fieri concessimus de centum solidis, canonicis et majori altari servientibus in vigiliis et in missa distribuendis. 16 aug.

CCXXV.

XVI KAL. SEPTEMBRIS. Eodem die, de domo Beate Marie, obiit magister Johannes de Monte Letherico. Qui dedit nobis, ad opus anniversarii sui, res inferius annotatas, moventes de conquestu suo, sitas in censiva ecclesie Parisiensis, videlicet unum arpentum terre apud Castanetum, in territorio quod dicitur de Lahoussaire, contiguum terre domine Helloysis de Plesseya et terre Agnetis Decane, in censiva capituli Parisiensis, ad duos denarios censuales, in festo sancti Remigii annuatim persolvendos; item, dimidium arpentum et dimidium quarterium terre arabilis, apud Burgum Regine, in loco qui dicitur Blagis, in censiva capituli, ad unum denarium et ad medietatem cujusdam picte capitalis census; item, quarterium et dimidium vinee, que vendiderunt Andreas, major de Civiliaco, et Agatha, ejus uxor, situm in territorio de Castaneto, ad Pissotam, ad sex denarios censuales; item, septem quarteria terre, in territorio de Alneto, ad Pirum de Alneto, ad tres denarios et obolum; item, dimidium arpentum terre, in territorio quod dicitur Goubert, ad octo denarios; item, dimidium arpentum terre arabilis vel circiter, in territorio quod dicitur Closellus Alneti, quod vendidit Petrus Muterel, ad octo denarios Parisiensium, die dominica sequenti proximo post nativitatem beate Marie virginis capitulo Parisiensi persolvendos; item, dimidium arpentum terre arabilis, quod vendiderunt Johannes Beraudi de Cellis et Benedicta, ejus 17 aug. circa 1275.

[1] De hac donatione vide chartam Inchadi, Parisiensis episcopi, anno 829 datam et superius editam, t. I, p. 322.

uxor, situm in territorio quod dicitur territorium de Blagis, contiguum terre Crispini dicti Lemelle, ex una parte, et terre presbiteri de Burgo Regine, ex altera, ad unum denarium, in festo sancti Remigii; item, quarterium et dimidium vinee, situm in territorio quod dicitur la Pissote, contiguum vinee confratrie de Castlianeto, ad sex denarios censuales, annuatim die dominica post nativitatem beate Marie virginis; que vendiderunt Symon de Castaneto, major, et Maria, ejus uxor; item, arpentum et dimidium vinee, sita in Valle Germani, ad tres denarios censuales, in festo sancti Remigii persolvendos; item, sexaginta et octo solidos Parisiensium incrementi census, quos Petrus de Sancto Clodoaldo, vicarius Sancti Petri de Fossatis in ecclesia Parisiensi, vendidit, super quadam domo, sita Parisius, supra Magnum Pontem, contigua, ex uno latere, domui Bernardi, aurifabri, quam domum tenent heredes defuncti Corradi, aurifabri, in censiva capituli Parisiensis, oneratos in decem denariis et obolo capitalis census, in festo sancti Germani Veteris annuatim persolvendos.... Dedit eciam clericis matutinarum quamdam domum, quam habebat in vico Serpentis. Et, post legata ipsius et debita soluta, de residuo legavit domui Dei Parisius quadraginta libras Parisiensium et totum residuum clericis supradictis.

CCXXVI.

XV KAL. SEPTEMBRIS. De domo Sancte Marie, obiit Holricus sacerdos.

18 aug. 1335. Anno Domini M° CCC° XXX° V°, obiit bone memorie magister Guillermus Herches, canonicus et penitenciarius Parisiensis, XV° kalendas septembris. Qui dedit nobis centum quinquaginta libras Parisiensium, ad emendos redditus.

CCXXVII.

19 aug. XIIII KAL. SEPTEMBRIS. De domo Sancte Marie, obiit Lando capellanus; qui dedit nobis quadraginta libras, ad stationem quatuor ferculorum.

Eodem die, obiit Guido diaconus; qui dedit nobis, ad stationem quatuor ferculorum, tres arpennos vinearum in Curticulis, et duos arpennos in Longuenis, et quinque arpennos terre arabilis, et quatuor dolia et quatuor tonellos. Ad quam faciendam, Andreas, nepos ejus,

adjecit vineam Lienoldi, scilicet dimidium arpennum, et vineam Baiardi, et domum cum torculari cum appendiciis ejus. Statio autem illa fit, in die Omnium Sanctorum, de carnibus. Statuit eciam predictus Guido, quod, in die anniversarii sui, unicuique clericorum tres darentur denarii.

De domo Sancte Marie, obiit Bernardus levita et Galterus puer.

Eodem die, obiit Guillelmus[1], Meldensis episcopus; cujus anniversarium capitulum, unanimi voluntate, annuatim in ecclesia nostra concessit celebrari, ob plurima beneficia ab eodem et fratribus et progenitoribus suis liberaliter nobis collata. 1221.

CCXXVIII.

XIII kal. septembris. Obitus reverendi patris Ludovici Raguier[2], episcopi Trecensis, quondam hujus ecclesie canonici; qui, suis sumptibus, dempta materia, fecit reparari organa hujus ecclesie, que multis et magnis indigebant reparacionibus. Et dedit ultra manualiter centum scuta auri fabrice[3]. Et fit pro eo, eadem die, missa sollempnis de beata Maria, vita comite dicti episcopi, et, post ejus mortem, anniversarium perpetuum solempne. Et distribuuntur de revenuta fabrice, tam in predicta missa quam anniversario, xii libre Parisiensium; super quibus capiuntur pro luminario tres solidi Parisiensium, et pro matricularii laicis et pulsatione totidem. Et ad hoc obligat capitulum redditus et proventus fabrice ac omnia bona ecclesie. De dicta vero summa centum scutorum fuit empta, ad utilitatem fabrice, domus ante Sanctum Christophorum. 20 aug. 1488.

CCXXIX.

XII kal. septembris. Eodem die, obiit Gaufridus, comes Britannie[4]; pro cujus anima, Agnes[5], dilecta soror ejus, comitissa Blesensis, dedit ecclesie nostre centum solidos Parisiensium annui redditus, reddendos in assumptione beate Marie, et in molendinis suis fullonariis Carnotum 21 aug. 1186.

[1] Guillelmus I de Nemosio.

[2] Ludovicus I.

[3] In *Gall. Christ.*, t. XII, col. 516.

[4] Gaufridus II, Britanniæ comes, filius Henrici II, regis Angliæ, et Alienordis de Aquitania, qui Constantiam, Cononis IV filiam et hæredem, uxorem duxerat anno 1181.

[5] Agnes seu Alix, filia Ludovici VII, regis Franciæ, et Alienordis, uxorque Theobaldi V, comitis Blesensis et Carnotensis.

assignatos. De predictis autem nummis canonici et majori altari servientes, qui anniversario prefati comitis intererunt, sex denarios in vesperis, et sex in missa percipient; et clerici eodem modo duos, et hospitale Beate Marie decem solidos habebit. De his autem denariis matricularii duodecim habebunt.

CCXXX.

22 aug. XI KAL. SEPTEMBRIS. De domo Sancte Marie, obierunt Fulbertus sacerdos et Rainaldus et Galterus subdiaconus.

Et, eodem die, obiit Gillebertus de Corbolio, vicecomes, a quo habuimus decimam Bonoili; et Galcherus de Monte Gaio, de cujus feodo decima illa erat, et dominium quod in illa habebat in perpetuum nobis dimisit.

Eodem die, obiit magister Petrus dictus Parvus, cancellarius Parisiensis. De cujus elemosina recepimus quinquaginta libras Parisiensium; que cum aliis quinquaginta libris, quas de elemosina magistri Petri de Fonteneto, canonici Sancti Germani Autisiodorensis et vicarii in ecclesia Parisiensi, habuimus, implicate fuerunt in decima de Chatelenes, in parrochia de Ciconeliis. Quorum reddituum medietas debet distribui in anniversario dicti magistri Petri Parvi et parentum suorum.

1304. Pro victoria regis Philippi in Flandria[1] c libre Parisiensium in multis villis. Quarum due partes distribuantur inter canonicos et majori altari servientes, et tercia pars communitati; ita tamen quod matricularii laici percipiant quilibet eorum ut unus de communitate, et pro luminari tres solidos.

CCXXXI.

23 aug. X KAL. SEPTEMBRIS. Eodem die, obiit Richardus et Ligardis, uxor ejus; pro quorum animabus et sua, Ebrardus, presbiter de Liricanto, filius eorum, dedit nobis octoginta libras : primo sexaginta libras positas in emptione decime de Viriaco, postea centum[2] libras positas in emptione reddituum de Braia; et voluit ut de redditibus supradictis canonici et majori altari servientes, *etc*.... Concessit autem capitulum

[1] Hic agitur de victoria, quam ad Montem in Pabula, Philippus Pulcher a Flandrensibus reportavit, die 18 augusti a. 1304. De hac regia liberalitate, vide chartam superius editam, t. II, p. 147.

[2] Numeri minime consentiunt cum summa.

eidem presbitero anniversarium suum cum supradicto anniversario patris et matris sue simul celebrari.

Item, eodem die, obiit dominus Petrus Parvus, quondam vicarius Sancti Victoris in ecclesia Parisiensi; qui dedit nobis quinquaginta et tres solidos annui census, super domum Johannis de Malli, latomi, in vico de Versalliis, prope Sancti Victoris, oneratos in sex solidis et sex denariis, officio orarum, termino sancti Remigii. Item, dedit nobis quadraginta solidos supra domum Vincencii Bufetarii, in eodem vico et in eadem censiva et contigua supradicte domui Johannis de Malli, oneratos in tribus solidis et tribus denariis, orario supradicto, pro anniversario suo et pro lampade ante altare Sancti Nicholai servienda. Et voluit dictus Petrus quod distribuantur sexaginta solidi cum supradicto anniversario matriculariis laicis : pro pulsatione et illuminatione lampadis duo solidi; residuum pro servicio lampadis. De quibus habemus litteras in thesauro nostro, in armariolo de Ytevilla.

CCXXXII.

IX KAL. SEPTEMBRIS. De domo Sancte Marie, obierunt Albertus episcopus[1], et Arnulfus. 24 aug. circa 1070.

Eodem die, obiit magister Stephanus de Remis, decanus et sacerdos[2]; Circa 1220. qui dedit nobis quinquaginta libras Parisiensium, positas in emptione decime de Ciconiellis. Concessit autem capitulum eidem decano, quod quicumque, nomine capituli, dictam decimam tenebit, de fructibus ejusdem decime persolvet sexaginta solidos Parisiensium, singulis annis, in anniversario suo, canonicis et majori altari servientibus, qui personaliter interesunt, in vigiliis et in missa distribuendos.

CCXXXIII.

VIII KAL. SEPTEMBRIS. Eodem die, obiit venerabilis pater dominus 25 aug. Leo, tytuli Sancte Crucis in Jerusalem presbiter cardinalis. Cujus anniversarium et Fortis Brachii, fratris ejus, nec non et Seônficte, uxoris ipsius Fortis Brachii, insimul fieri concessimus, ad petitionem magistri

[1] Albertus seu Ascelinus de Truncinis, episcopus Parisiensis. De hoc vide *Gal.. Christ.* t. VII, col. 45 et 46; et *Hist. Eccles. Paris.*, t. I, p. 633.

[2] In *Gall. Christ.*, t. VII, col. 202.

Philippi Fortis Brachii, concanonici nostri; qui emit medietatem cujusdam molendini, siti apud Andresiacum, quod fuit Guillelmi de Hericort, quod Droco Maalier et Guerinnus de Pince Fonteinne vendiderunt prefato Philippo; et unam oblatam, que valet quinque solidos Parisiensium annuatim. Que omnia dedit nobis dictus Philippus ad distributionem faciendam, die anniversarii predictorum, canonicis et majori altari servientibus, qui vigiliis et misse interer unt; ita etiam quod, eadem die, post decessum dicti Philippi, celebrabitur anniversarium ejusdem insimul, nisi aliter ipse Philippus in vita sua ordinaverit. Data sunt autem predictum molendinum et oblata ad firmam, pro sexaginta quinque solidis.

CCXXXIV.

26 aug. 1241. VII KAL. SEPTEMBRIS. Eodem die, obiit bone memorie Gregorius[1], papa nonus, avunculus dilecti concanonici nostri magistri Adenulphi, prepositi Sancti Audomari. In cujus anniversario, scilicet in vigilia et in missa, distribuentur quatuor libre Parisiensium, annis singulis, hoc modo, videlicet : episcopo sive capicerio ejus, pro luminari, duodecim denarii; matriculariis vero laicis, pro pulsandis campanis inferius et superius, more solito, insimul tantummodo duo solidi; residuum vero dictarum IIIIor librarum distribuentur inter canonicos et majori altari servientes. Missa vero anniversarii celebrabitur in majori altari, canonicis vel vicariis chorum tenentibus in vesperis et in missa. Percipientur autem dicte IIIIor libre in decem libris Parisiensium, quas idem prepositus annuatim tenetur solvere, quamdiu fuerit canonicus Parisiensis et domum claustri tenuerit, quam nunc possidens magnis sumptibus reparavit. Post cujus decessum sive cessionem prebende Parisiensis et domus predicte, percipientur dicte decem libre super domo prefata, et solventur a possessore predicte domus annis singulis in futurum. In dictis siquidem decem libris percipiendis et habendis post decessum sive cessionem ejusdem prepositi, ut predictum est, dictam domum, utilitate Parisiensis ecclesie pensata, de voluntate et assensu ipsius, juxta domini pape mandatum, oneravimus, preter pensionem

[1] Gregorius IX die 21 augusti vita functus est.

et alia onera consueta, annexa domui preuotate. Residuum autem dictarum decem librarum distribuentur annuatim.

CCXXXV.

VI KAL. SEPTEMBRIS. De domo Sancte Marie, obiit Guillelmus[1] episcopus; qui dedit nobis illud potestatis quod ipse et archidiaconus habebat in ecclesia Sancti Christofori martiris[2]. 27 aug. 1101.

Eodem die, obiit Gerardus de Saucto Dyonisio, clericus ecclesie nostre. Cujus mater Maria Justiciaria et ipse Gerardus, pro remedio animarum suarum et parentum suorum, nobis in elemosinam contulerunt octoginta libras Parisiensium; de quibus emimus quosdam redditus, quos quidam milites, videlicet Petrus de Quennes et alii, percipiebant in granchia nostra de Cellis, et illos redditus nobis retinuimus. Nos vero, ad preces eorum, anniversarium suum et parentum suorum, videlicet Petri Justiciarii, prefate Marie quondam mariti, et filiorum suorum Henrici et Henrici, Thome et Petri, et aliorum amicorum suorum annuatim, in ecclesia nostra, concessimus faciendum; et, in recompensatione supradicte emptionis facte, assignavimus tres modios ybernagii melioris post frumentum, ad mensuram Parisiensem, in granario nostro singulis annis percipiendos.

Die XXVII mensis augusti, debet celebrari obitus deffuncti magistri Johannis Duplez, dum viveret succentoris et canonici Parisiensis. Et debent distribui in eodem obitu XII^cim^ libre Parisiensium; pro cujus obitus fundacione legavit XII^m^ scuta auri, pro redditibus emendis.

CCXXXVI.

Anno Domini M° trecentesimo decimo octavo, in festo decollationis beati Johannis Baptiste, mense augusti, obiit felicis recordationis dominus Michael de Becco, presbiter cardinalis[3]. Qui dedit nobis, ad opus anniversarii sui, annis singulis, in nostra ecclesia, in capis sericis canonicis chorum tenentibus, faciendi, trecentas libras Parisiensium; pro quibus percipimus et habemus duodecim libras decem solidos 27 aug. 1318.

[1] Guillelmus I, de Monte Forti.

[2] In *Gall. Christ.*, t. VII, col. 54; et in *Hist. Eccles. Paris.*, t. I, p. 728.

[3] Relatum in *Hist. Eccles. Paris.*, t. II, p. 570.

Parisiensium annui et perpetui redditus amortizatas, percipiendas et habendas super domum de Virsi et septies viginti duodecim arpentis terre arabilis vel circiter, dicte domui appendentibus, cum universis dicte domus pertinentiis, sitis in prepositura de Meleduno, juxta abbatiam du Jars; que fuerunt empta a nobili viro domino Petro de Sollere, milite, et domina Johanna, ejus uxore.... Item, legavit beneficiatis dicte nostre ecclesie quatuor libras Parisiensium. Item, legavit pro dotatione et institutione cujusdam capellanie, in ecclesia nostra, ad altare novum, in honorem sancti Michaelis archangeli fundate, sexcentas libras Parisiensium. De quibus quinquaginta libre Parisiensium fuerunt pro ornamentis, calice et aliis emendis, ad opus dicte capellanie necessariis; et quingente quinquaginta libre Parisiensium fuerunt posite in emptione dicte domus de Virsi cum dictis suis pertinenciis universis. Pro quibus capellanus dicte capellanie, qui pro tempore fuerit, annis singulis percipiet terciam partem in dicta domo de Virsi et predictis ipsius domus pertinenciis; ita tamen quod capellanus dicte capellanie modernus, et qui pro tempore fuerit, dictam domum ex nunc tenebitur pro sua tercia parte, absque aliqua divisione dictarum domus et pertinenciarum facienda, suis sumptibus sustentare et dictas terras colere seu excoli bene et sufficienter facere temporibus ad hoc aptis, et omnia et singula onera et redibentias, misias et expensas factas ratione dictarum domus et pertinenciarum, tociens quociens opus fuerit, annuatim solvere suis sumptibus et expensis, ac omnia pericula seu deperdita, prisias regis et alia, ratione premissorum, contingencia quoquo modo subire pro dicta sua tercia parte.

CCXXXVII.

28 aug. circa 1290. V KAL. SEPTEMBRIS. De domo Sancte Marie, obiit magister Herveus Brito dictus Rauens, diaconus. Qui dedit nobis, ad opus anniversarii sui, decimam quam habebat de conquestu suo apud Villam Domble, in parrochia de Sacleyo, valentem viginti sextaria bladi vel circiter annuatim, nec non et triginta solidos Parisiensium augmentati census, quos habebat de conquestu suo super quadam vinea que dicitur Loseret, continente quinque quarteria, sita inter Fontanetum et Balneolum, quam tenet Aubertus dictus Aupes ad censum predictum; et tenetur,

preter hec, idem Aubertus solvere annuatim duodecim denarios capitalis census, pro dicta vinea. De quorum proventibus distribuentur, *etc*.... Item, dedit nobis, ad opus semidupli beati Nicholai estivalis, tria arpenta cum dimidio et dimidio quarterio terre arabilis, sita apud Cristolium, in territorio quod vocatur au Pointes, et alia tria arpenta in territorio quod vocatur les Quarrères, cum quadam domo et quadam granchia. Que omnia predicta tenet Symon, decanus de Christolio, ad firmam, pro quinquaginta solidis Parisiensium, annuatim, in festo beati Martini hyemalis reddendis.... Item, dedit ecclesie Parisiensi, ad opus matutinarum in eadem ecclesia, viginti quatuor arpenta terre arabilis vel circiter.

CCXXXVIII.

IIII KAL. SEPTEMBRIS. De domo Sancte Marie, obiit Guillelmus de Marliaco, subdiaconus; pro cujus anima, Bocardus, dominus de Marliaco, et Matheus, fratres sui, concesserunt nobis sexaginta solidos Parisiensium, singulis annis percipiendos, in censu suo quem habet apud Sanctum Medericum, in domo Brichart, in festo sancti Johannis Baptiste, et in anniversario prefati Guillermi distribuendos, in vigiliis et missa[1]. 29 aug. circa 1220.

Eodem die, obiit magister Johannes Justice, canonicus Parisiensis 29 aug 1349. et cantor Baiocensis, anno Domini millesimo trecentesimo quadragesimo nono, XXIX die augusti. Qui legavit ecclesie Parisiensi, pro anniversario suo quolibet anno faciendo, ad majus altare, in capis cericis, decem libras Parisiensium annui redditus, percipiendas super Villam Ruscam.

CCXXXIX.

III KAL. SEPTEMBRIS. De domo Sancte Marie, obiit Drocho sacerdos. 30 aug. 1271.

Eodem die, obiit pie recordationis Alphonsus[2], quondam Pictavensis et Tholose comes, filius Blanche, quondam regine, frater Ludovici quondam regis, avunculus Philippi, regis Francorum. Qui legavit ecclesie Parisiensi, pro anniversario suo annuatim faciendo, decem

[1] De hujus anniversarii institutione, vide chartam superius editam, t. I, p. 297.

[2] Comitem Alphonsum mortem obiisse 21 aug. 1271 legimus apud D. Vaissète, *Hist. de Lang.*, t. III, p. 522, et P. Anselme, *Hist. généal. de la Maison royale de France*, t. I. p. 82.

libras Parisiensium annui redditus, capiendas in prepositura de Meleduno, videlicet medietatem ad ascensionem Domini et aliam medietatem ad festum Omnium Sanctorum.... Dedit eciam viginti libras Parisiensium annui redditus, pro una capellania quam fundavit in ecclesia nostra Parisiensi, in predicta prepositura et eisdem terminis capiendas. Capellanus autem qui habet dictam capellaniam tenetur cotidie celebrare missam pro dicto comite, nisi legittimo fuerit impedimento detentus. Capitulum autem concessit missam pro ipso celebrari ad majus altare, duobus canonicis sive vicariis tenentibus chorum; et debet fieri die qua legetur.

CCXL.

1302 Anno Domini millesimo ccc° secundo, recepit capitulum Parisiense a discreto viro magistro Martino Daco, canonico Parisiensi et sacerdote, centum sexaginta et octo libras Parisiensium, conversas in emptionem quadraginta librarum Parisiensium annui et perpetui redditus, quas emit capitulum apud Andresiacum, a nobili viro domino Roberto de Ruppe Guidonis, milite, et ejus uxore, pro precio mille centum et viginti librarum Parisiensium[1]. Pro quibus centum sexaginta octo libris predictis et in earum recompensationem, voluit capitulum et concessit dicto magistro Martino, quod ipse, quamdiu vixerit, habeat et percipiat de bursa capituli, per manus camerarii clerici, qui pro tempore fuerit, singulis annis, sex libras Parisiensium, duobus terminis, videlicet medietatem ad festum purificationis beate Marie virginis, et aliam medietatem in festo ascensionis Domini. Et, post ejus decessum, capientur in bursa capituli supradicta, anno quolibet, sex libre Parisiensium, de quibus annuatim anniversarium predicti magistri Martini celebrabitur in ecclesia Parisiensi supradicta. Item, percipiuntur in dicta bursa, pro eodem anniversario, viginti solidi Parisiensium annui redditus, pro venditione domus claustralis ejusdem magistri Martini.

CCXLI.

31 aug. circa 1290. II KAL. SEPTEMBRIS. De domo Sancte Marie, obiit Gazo, succentor, dictus de Viriaco; qui dedit nobis, pro anniversario suo faciendo, octo

[1] De hoc vide chartam superius relatam, t. II, p. 323.

arpenta cum dimidio terrarum, in territorio de Orliaco. Quas terras emit a Guillelmo, quondam decano de Orliaco. Item, dedit nobis arpentum et dimidium vel circiter prati, quod emit ab Henrico Falcatore, in territorio de Stevilla, prope lavatorium de Arrio. Et voluit quod de proventibus terrarum et prati distribuerentur, *etc.*

CCXLII.

Kal. septembris. Obierunt pater et mater Petri de Boissiaco, ecclesie Baiocensis archidiaconi et concanonici nostri; quorum anniversarium, ad preces ejusdem Petri, in nostra ecclesia fieri concessimus, et ejusdem Petri anniversarium, post obitum suum, simul cum anniversario predictorum. Qua concessione facta, idem Petrus, pro remedio anime sue et predictorum parentum, amicorum et benefactorum suorum, dedit nobis centum libras Parisiensium; quas posuimus in emptione quam fecimus apud Viriacum, in terris, pratis et aliis bonis temporalibus, que defunctus Herbertus de Restel, quondam concanonicus noster, emerat et possederat in vita sua, in dicta villa de Viriaco. Et, ut emptio dictarum rerum penes capitulum nostrum integraliter remaneret ad usus et distributiones horarum ecclesie nostre, nos, in recompensationem dictarum centum librarum in dicta emptione positarum, assignavimus eidem Petro sex libras Parisiensium, ad redditus et proventus dictarum horarum deputatos, distribuendas annuatim in anniversario predictorum parentum suorum ac suo post obitum suum. 1 sept. circa 1235.

CCXLIII.

IIII non. septembris. Obiit Drocho, ecclesie Beati Christophori sacerdos. Qui de suo instituit festum beati Egidii in ecclesia nostra, tali modo : quod omnes canonici et majori altari servientes, qui matutinis dicte festivitatis intererunt, percipient sex denarios, et clerici tres. Et, ad hoc faciendum, dedit nobis duas domos, quas apud Charanri habebat. Capitulum vero universum concessit anniversarium ejus fieri in crastino supradicte festivitatis. 2 sept.

Eodem die, obiit Andreas Coumin, capellanus in ecclesia nostra. Pro cujus anima et parentum suorum et sua, Guillermus Coumin, canonicus Sancti Dyonisii de Passu, frater ipsius Andree, dedit nobis

duo arpenta et dimidium vinearum, sita in territorio Montis Civriaci, in censiva nostra; tali modo, quod capitulum vel quicumque, nomine capituli, predictas vineas possidebit canonicis et majori altari servientibus et matriculariis sacerdotibus, qui vigiliis anniversarii intererunt, sex denarios distribuet, *etc.*

CCXLIV.

3 sept. circa 1210. III NON. SEPTEMBRIS. De domo Sancte Marie, obiit magister Petrus Pictavensis, diaconus et cancellarius; qui dedit nobis quadraginta libras Parisiensium, positas in emptione decime de Viriaco.

CCXLV.

4 sept. II NON. SEPTEMBRIS. De domo Sancte Marie, obiit Lisiernus levita, et Humfredus subdiaconus, et Hugo subdiaconus.

1161. Eodem die, obiit Philippus[1], frater regis, concanonicus noster et archidiaconus; qui dedit nobis pallium unum et cappam unam et duas tunicas et canopeum quod suspenditur super altare, et viginti libras, ad stationem quatuor ferculorum[2].

Eodem die, reddenda est statio de Andrisiaco, de majoria Andrisiaci retenta a nobis et de possessionibus et redditibus quos emimus a majore et uxore ejus et filiis eorumdem.

Circa 1245. Eodem die, obiit magister Petrus de Fonteneto, presbiter canonicus Sancti Germani Autisiodorensis et vicarius in ecclesia Parisiensi. De cujus elemosina recepimus quinquaginta libras Parisiensium, que, cum aliis quinquaginta libris, quas de elemosina magistri Petri dicti Parvi, cancellarii Parisiensis, habuimus, implicate fuerunt in decima de Chatelenes, in parrochia de Ciconeliis. Quorum reddituum medietas debet distribui in anniversario dicti Petri vicarii et parentum suorum.

CCXLVI.

5 sept. NON. SEPTEMBRIS. De domo Sancte Marie, obierunt Petrus de Grossis Petris, quondam presbiter cardinalis, et magister Guillermus dictus Rouaut, canonicus Parisiensis. Qui dederunt ecclesie nostre quislibet

[1] Philippus, Ludovici VI filius, archidiaconus Parisiensis et decanus Turonensis; factus episcopus Parisiensis, Petro Lombardo sedem resignavit. (*Gall. Christ.*, t. VII, col. 68; *Art de verif. les dates*, t. I, p. 574.)

[2] In *Hist. Eccles. Paris.*, t. II, p. 121.

centum libras Turonensium, ad emendos redditus, pro anniversariis suis in ecclesia nostra annis singulis faciendis. De qua pecunie summa centum et decem libre Parisiensium posite fuerunt in empcione decem librarum Parisiensium, percipiendarum in territorio de Mori, super sexaginta duodecim arpenta nemoris quod dicitur de la Tillerie, in censiva nostra. Que decem libre Parisiensium debent solvi apud Mori, in domo nostra, annis singulis, in festo sancti Remigii, a Guillermo de Gressi, armigero, vel a possessoribus dicti nemoris, sub pena quinque solidorum Parisiensium, pro defectu cujuslibet diei, sicut in litteris prepositure Parisiensis super hoc confectis plenius continetur. Voluit autem capitulum quod de predictis decem libris centum solidi Parisiensium distribuantur in anniversario predicti domini Petri, et alii centum solidi in anniversario predicti magistri Guillermi.

CCXLVII.

VIII ID. SEPTEMBRIS. Hic debet fieri anniversarium magistri Guillermi dicti Rouaut, canonici Parisiensis; in quo debent distribui centum solidi Parisiensium. 6 sept.

CCXLVIII.

VII ID. SEPTEMBRIS. De domo Sancte Marie, obiit Mainardus subdiaconus. 7 sept.

CCXLIX.

VI ID. SEPTEMBRIS. De domo Sancte Marie, obiit bone memorie dominus Nicholaus, tituli Sancti Laurentii in Damaso presbiter cardinalis; 8 sept.
in cujus anniversario debent accipi sex libre cum dimidia in bursa horarum, pro terra que fuit empta apud Andresiacum, usque ad illam summam de pecunia cardinalis predicti. Item, in illo anniversario debet distribui pecunia trium quarteriorum prati, que habebat idem cardinalis apud Laiacum.... Item, idem cardinalis legavit centum libras Parisiensium fabrice ecclesie Parisiensis; item, idem cardinalis legavit unum par vestimentorum de dyapro ecclesie Parisiensi. Et debet fieri dictum anniversarium sollempniter, canonicis chorum tenentibus sive vicariis in vigiliis et in missa cum cappis sericis.

1049. De domo Sancte Marie, obiit magister Johannes[1] de Magno Ponte, olim decanus Parisiensis; qui dedit nobis, ad opus anniversarii sui, quadraginta septem libras Parisiensium bonorum, habitas ex venditione domus quondam domini Theobaldi de Bercencuria, implicandas in perpetuos redditus[2]. Item, dedit nobis sex libras Parisiensium annui redditus, non admortizatas, perceptas super quamdam domum, sitam juxta Sanctum Germanum Veterem, quam inhabitat Guillermus de Cherni. Item, dedit nobis octo libras Parisiensium annui redditus admortizatas, perceptas super prepositura de Corbolio, per manum camerarii clerici, ad opus anniversarii sui.

CCL.

9 sept. V ID. SEPTEMBRIS. De domo Sancte Marie, obiit Manasses subdiaconus.

Et, eodem die, obiit Robertus capellanus; qui dedit nobis quadraginta quinque libras Parisiensis monete, positas in decima de Masegni, quam habuimus per compositionem factam inter nos, ex una parte, et monachos Sacri Portus, ex altera. Ipsi autem monachi nobis quitaverunt medietatem tocius decime supradicte in proventibus, videlicet in dominio, in justicia, in tractu et in omnibus aliis quibuscumque, in perpetuum pacifice possidendam. Statutum est autem a capitulo quod quicumque prepositura Vernoti habuerit prefatam decimam integraliter percipiet et habebit; ita tamen quod, die anniversarii memorati Roberti, singulis canonicis et majori altari servientibus qui presentes affuerint sex denarios sero ad vigilias, et sex ad missam in crastino annuatim distribuere teneatur.

CCLI.

10 sept. IV ID. SEPTEMBRIS. Missa de Sancto Spiritu pro magistro Jacobo Despars, canonico subdyacono Parisiensi, celebranda in crastino nativitatis beate Marie virginis, que, post ejus obitum, convertetur in anniversarium, ut patet per litteras quarum tenor sequitur :

[1] Johannes I.

[2] In *Gall, Christ.*, t. VII, col. 194.

Universis presentes litteras inspecturis, Albertus[1] decanus totumque capitulum venerabilis ecclesie Parisiensis, ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, salutem in Domino. Notum facimus quod, anno Domini M° CCCC^mo^ quinquagesimo VII°, die martis tricesima mensis augusti, venerabilis et circumspectus vir dominus et magister Jacobus Despars, de civitate Tornacensi oriundus, in artibus magister et medicine doctor, Tornacensis thesaurarius ipsiusque et nostre Parisiensis ecclesiarum canonicus prebendarius ac frater noster dilectus, pro remedio anime sue et parentum suorum, dedit prefate ecclesie nostre Parisiensi, dum viveret, trecenta et viginti scuta boni auri, pro una missa de Sancto Spiritu, singulis annis, in choro dicte ecclesie nostre Parisiensis celebranda, in crastino festivitatis beate Marie virginis, ipso in humanis degente. Et, post ejus obitum, pro dicta missa voluit unum anniversarium solenne cum vigiliis et commendacionibus defunctorum, die obitus sui, perpetuo singulis annis, sollenniter in dicta ecclesia nostra Parisiensi celebrari. Pro quibus quidem missa de Sancto Spiritu, quamdiu vixerit, et dicto anniversario, post ejus obitum, celebrandis, obligavimus et obligamus totam terram nostram de Balneolis, Parisiensis dyocesis, ad officium horarum ipsius ecclesie nostre spectantem, nec non ipsum totum officium horarum, pro sexdecim libris Parisiensium, distribuendis manualiter singulis annis, in ipsa missa seu in ipso anniversario.... In cujus rei testimonium, sigillum nostrum capitulare presentibus litteris duximus apponendum[2]. Datum et actum in capitulo nostro Parisiensi, anno Domini millesimo quadringentesimo quinquagesimo septimo et martis XXX^mo^ augusti primo dictis. Sic signatum : G. de Ryvery. 30 aug. 1457.

CCLII.

III ID. SEPTEMBRIS. Eodem die, obiit Mauricius[3], bone memorie Parisiensis episcopus; qui novum vicum de suo proprio factum, tempore suo, ante portas ecclesie aperuit, quatuor abbatias novellas sub ecclesia Parisiensi plantavit, pontes in episcopatu construxit, domos episcopales novas edificavit, redditus episcopatus multipliciter ampliavit. 11 sept. 1196.

[1] Albertus de Rouvroy.

[2] Relatum in *Gall. Christ.*, t. VII, col. 214.

[3] Mauritius de Solliaco.

Idem etiam dedit nobis domum juxta portam claustri sitam, ad stationem in festo sancti Mauricii persolvendam; viariam quoque de Castaneto, ad stationem in die anniversarii sui persolvendam; feodum etiam de Ivri, ad stationem die electionis sue, die scilicet tercio post festum sancti Dyonisii, persolvendam. Hec autem Johannes, nepos ipsius, concanonicus noster, quamdiu vixerit, possidebit; post cujus decessum, ad capitulum nostrum revertentur. Si quid vero, factis, sicut predictum est, tribus stationibus, residuum fuerit, ad beneficium denariorum matutinalium canonicis cedat. Dedit insuper nobis viginti marchas auri, ad faciendam tabulam auream ante majus altare; calicem quoque dedit aureum duarum marcharum et dimidie, turibulum aureum quatuor marcharum, et tabulas argenteas ad ornamentum altaris, duas cappas, tres infulas, pallium unum, dalmaticam unam, tunicam unam, albas duas paratas cum amictis, et stolam unam. Trecentas quoque libras donavit ecclesie, centum scilicet ad denarios matutinarum canonicis, centum ad denarios matutinales pauperibus clericis, centum ad tectum nove fabrice ecclesie faciendum plumbeum. Preterea dedit nobis centum nonaginta marchas argenti, que posite fuerunt in emptione terrarum, hospitum et vinearum, que fuerunt Guillelmi de Besons, militis, et uxoris ejus, apud Vitri. Que omnia tenebit magister Philippus in vita sua; et de his omnibus reddet annuatim decem libras Parisiensium, et quicumque, post eum, dictos redditus tenebit similiter decem libras persolvet.... Statutum est autem a capitulo quod anniversarium ejus sollempniter agatur, canonicis tam ad vesperas quam ad missam chorum tenentibus; et missa ad majus altare celebrabitur[1].

CCLIII.

12 sept. 1016. II ID. SEPTEMBRIS. De domo Sancte Marie, obiit Rainaldus[2] presul, et Helysabeth, mater ejus; qui dederunt nobis Liricantum[3]. Idem etiam Rainaldus dedit nobis medietatem hospitalis Sancti Christophori, que erat episcoporum propria. Capitulum vero constituit quod in illo anni-

[1] Editum in *Hist. Eccles. Paris.*, t. II, p. 148; et in *Gall. Christ.*, t. VII, col. 77.
[2] Reginaldus II de Vindocino, episcopus Parisiensis.
[3] In *Gall. Christ.*, t. VII, col. 45; et *Hist. Eccles. Paris.*, t. I, p. 633.

versario centum solidi de bursa capituli distribuantur canonicis et majori altari servientibus.

CCLIV.

Id. septembris. Eodem die, obiit Henricus[1], archiepiscopus Bituricensis; pro cujus anima, Odo, frater ejus, Parisiensis episcopus, dedit nobis quadraginta libras Parisiensium, de quibus redditus empti fuerunt apud Vitri.... De his autem denariis et de denariis magistri Petri precentoris empta fuit terra apud Vitri, a Guillelmo de Goneio et matre ejus et fratribus, de voluntate et assensu comitis Roberti, de cujus feodo movebatur terra, cujus super hoc litteras habuimus. 13 sept. 1199.

CCLV.

XVIII kal. octobris. Eodem die, obiit Helysabeth[2], mater Petri, comitis Antisiodorensis[3]; que dedit nobis et hospitali centum solidos, annuatim percipiendos in redditibus quos habebat apud Chanteeoc, qui eam jure hereditario contingebant. Quos centum solidos, quia tam capitulum quam hospitale sine contradictione, laboribus et expensis magnis habere non poterant, predictus Petrus comes, filius ejus, dedit tam capitulo quam hospitali quinquaginta libras Parisiensium; de quibus duas partes habuimus, et hospitale terciam. 14 sept. circa 1210.

Item, ipso die, de domo Sancte Marie, obiit magister Petrus dictus Papa; qui dedit nobis omnes conquestus suos, quos acquisierat apud Christolium, in terra nostra. Qui dati sunt ad firmam sex librarum Parisiensium magistro Johanni dicto de Lachi, canonico Parisiensi. De quibus sex libris debent distribui in anniversario dicti magistri Petri.... et viginti solidi ad opus mandati. Circa 1270.

CCLVI.

XVII kal. octobris. De domo Sancte Marie, obiit Symon de Monte, diaconus. 15 sept.

[1] Henricus I de Solliaco.

[2] Elisabeth de Curteniaco, uxor Petri, filii regis Ludovici VI.

[3] Petrus II de Curteniaco, qui, ex uxore sua Agnete, comitissa Nivernensi, Antissiodorensi et Tornodorensi, horum trium comitatuum titulos accepit. Idem, anno 1215, Constantinopolitanus imperator electus, et postea a Theodoro Comnena, Epirensi principe, captus, circa annum 1218 in carcere mortem obiit.

Circa 1190. Et, eodem die, obiit Symon de Sancto Dyonisio, diaconus. Qui dedit nobis granchiam de Rungi, et centum octoginta arpennos terre arabilis; ita tamen quod nepotes ejusdem, canonici scilicet Guillelmus de Sancto Dyonisio et Herluinus et Suggerius, quamdiu viverent, predicta possiderent, et decem libras ad matutinas, singulis annis, redderent in octabis Pentecostes. Et, si contigerit unum vel duos decedere, portio unius accrescet alteri, et, ad invicem succedentes, totum ultimus habebit. Eo autem decedente, totum revertetur in usus ecclesie, ad matutinas.... Instituit autem predictus Symon duos canonicos in ecclesia Beati Dyonisii de Passu, pro anima sua, qui utrique ecclesie deservire tenentur. Et, ad petitionem ipsius, concessit capitulum predictis nepotibus suis vineas de Grignon, ut eas haberent et possiderent sicut granchiam et terram arabilem. Voluit autem capitulum matricularios sacerdotes sibi pares esse in distributione predicta.

Dedit insuper clericis matutinis ecclesie Parisiensis quindecim libras Parisiensium, positas in melioratione domus eorum, site in clauso Brunelli; item, viginti novem solidos tres denarios et obolum annui incrementi census debitos annuatim, sitos super quatuor domibus, sitis juxta Sanctum Honoratum, in vico qui dicitur Richeborc, videlicet in domo magistri Guidonis Britonis sex solidos et tres denarios cum obolo; item, in domo Renoudi de Vota novem solidos et sex denarios; item, in domo Jacobi dicti Carnificis octo solidos et sex denarios; item, in domo Guillelmi Tegularii quinque solidos.

CCLVII.

16 sept. 1287. XVI KAL. OCTOBRIS. De domo Sancte Marie, obiit bone memorie dominus Gervasius[1], sacrosancte Romane ecclesie presbiter cardinalis; qui, pro remedio anime sue, dedit ecclesie Parisiensi tres infulas et unam cappam de choro, tunicam et dalmaticam de samito violaceo. Dedit etiam albam paratam cum amictu, stolam cum manipulo, ac etiam calicem argenteum, ad serviendum ad majus altare; item, mitram pulchram, sandalia, cyrothecas cum anulo pontificali, ac insuper cen-

[1] Gervasius Giancoletus de Clino Campo, archidiaconus Parisiensis, a Martino papa IV, anno 1281, purpura Romana indutus, et Romæ, anno 1287, peste extinctus. Vide *Hist. Eccles. Paris.*, t. II, p. 306 et 575.

tum libras Parisiensium, pro acquirendis redditibus, ad ejus anniversarium in posterum annis singulis faciendum in ecclesia supradicta. Capitulum vero, tautorum beneficiorum non immemor, statuit ejus anniversarium annis singulis in ecclesia Parisiensi fieri.

Item, obiit magister Johannes de Sinemuro, diaconus canonicus Parisiensis; qui dedit nobis septem libras Parisiensium, capiendas super nemus et terras de Caula Buxa (?) juxta villam de Forgis, pro anniversario suo perpetuo faciendo.

CCLVIII.

XV KAL. OCTOBRIS. De domo Sancte Marie, obiit Joscelinus sacerdos. 17 sept.

Eodem die, fiet duplum in honorem beati Audomari, episcopi et confessoris, nuper a nobis institutum, dilecto concanonico nostro magistro Adenulpho, preposito Sancti Audomari, procurante; iu quo sexaginta solidi Parisiensium distribuentur, videlicet episcopo sive capicerio ejusdem, pro luminari dupli predicti, quatuor solidi, et residuum inter canonicos et majori altari servientes, de decem libris Parisiensium, quas idem prepositus tenetur et promisit solvere singulis annis, quamdiu vixerit. Et, post mortem ipsius, percipientur dicte decem libre annuatim super domo ejusdem, sita in claustro, quam magnis sumptibus reparavit, tam pro dicto duplo, quam pro anniversario bone memorie Gregorii, pape noni, avunculi ejusdem, et anniversario dicti prepositi et matris ejusdem, prout in presenti libro, in anniversario dicti domini Gregorii pape, quod celebrari debet septimo kalendas septembris, plenius continetur.

CCLIX.

Anno Domini millesimo quadringentesimo vicesimo primo, xv^{to} kalendas octobris, que dies fuit decima septima mensis septembris, obiit vir venerandus dominus Johannes de Molendino, domini nostri regis prothocapellanus, prepositus Normannie in ecclesia Carnotensi, ac ipsius Carnotensis et Parisiensis ecclesiarum nec non sacre capelle ipsius domini, Parisius, canonicus prebendatus. Qui dedit nobis, in trecentis scutis auri ad coronam et sexaginta duabus libris et decem solidis Turonensium bone monete, summam quatercentum francorum 17 oct 1421.

bone monete, ad emendum redditus, pro suo obitu solempni in ecclesia nostra, prout alii solempnes obitus cum luminari et pulsacione celebrari consueverunt, perpetuo singulis annis ea die vel alia propinquiori, qua commodius fieri poterit, celebrando.

CCLX.

1422 C'est la déclaration des rentes et héritages que a donné à l'église de Paris feu maistre Jehan Courtecuisse, esleu et confermé de Paris, depuis évesque de Genesve[1].

Premièrement, une maison, jardins et louages, séant en la rue de Byèvre, que tient à présent maistre Jehan Loyer, à sa vie, tenant d'un costé à l'évesque de Troyes; item, XII sols VI deniers de rente sur une maison, en la rue Geufroy Langevin, où pend l'escu de Bourgogne; item, sur une maison séant en la rue des Commanderesses, appartenant à Colin le Borgne, par an XXVIII sols parisis de rente; item, sur une maison séant en la rue Simon le Frane, appartenant à Jehan du Fossé, par an XL sols parisis de rente; item, sur une maison séant en la rue Simon le Frane, appartenant à Girart Miot, par an XL sols parisis de rente; item, sur une maison en la rue de Frépillon, appartenaut à Maciot de la Barre, par an LXXIIII sols parisis de rente; item, sur l'ostel du Paon, sur cellui d'emprès et sur l'ostel du Gros Tournois, assis en la rue de Joy, par au LXX sols parisis de rente; item, sur l'ostel de la Couppe, en la grand rue Saint-Anthoine, qui appartinst à ung appelé Thouroude, par an LX sols parisis de rente; item, sur ung hostel séant devant les Béguines, appartenant à Nicolas le Desrayé, par an LXX sols parisis de rente; item, sur l'ostel de Faveroles, assis en la rue du Temple, devant le Soufflet, par au XL sols parisis de rente; item, sur l'ostel maistre Guy Bégiu, assis au coing de la rue des Ménesterelz, par an XX sols parisis de rente; item, sur l'ostel maistre Jehan Delfy, les louages et appartenauces d'icellui, assis eu la rue de Bourg Tiboust, par an VII livres XV sols parisis de rente; item, sur ung hostel appartenant à Julien du Pré, séant eu la rue de Trassenonnain, par an quatre livres parisis de rente; item, sur l'ostel du Plat d'Estaing, en la Ven-

[1] Vide obitus ejus mentionem in hoc tomo, p. 25.

nerie, par an LX sols parisis de rente; item, sur l'ostel du Lyon, en ladite rue de la Vennerye, par an XII livres parisis de rente; item, sur l'ostel de l'Escu de Bourgogne, près de la porte du Temple, devant l'ostel du Boesseau, par an XL sols parisis de rente; item, sur l'ostel de la Huchète, assis à Paris en la rue de la Huchète, par au LX sols parisis de rente; item, sur ung appellé Jehan Aranceau, demourant à Crestueil, XX sols parisis de rente, que l'en peut rachater par paiant XVI livres parisis; item, sur l'ostel où souloit pendre l'enseigne de la Brouette, en la rue du Temple, et sur ung autre hostel joingnant à la maison qui fait le coing de la rue des Graveliers, par an XXX sols parisis de rente; item, sur l'ostel de l'Escu de France, en la Mortellerie, par an X livres parisis de rente. Item, sont escheuz à ladicte église de Paris les rentes qu'ilz s'ensuivent, par le résidu du testament dudit Courtecuisse, lequel résidu il a laissié à ladicte église sur la maison Robin de Samoys et Loys de Ruys, séant en la Mortellerie, tenant à une ruelle qui va à Seine, par an VII livres X sols parisis de rente; item, sur la maison Coliu de la Pierre, en la rue Saint-Anthoine, oultre Sainte-Katherine, tenant avec J. Miron, par an LVIII sols parisis de rente; item, maistre J. Miron, sur sa maison, en ladite rue, tenant audit Colin, par an II sols parisis de rente; item, sur la maison feu maistre Jehan de Troye, en rue Neufve Saint-Merry, où pend le Tripié, par an X livres VIII sols parisis de rente; item, sur la maison maistre Denis Mauroy, en ladite rue Saint-Merry, où souloit pendre l'enseigne de la Celle, par an LX sols parisis de rente; item, la maison et louages où ledit Courtecuisse demoure, séant en la rue Saint-Nicolas du Chardonnerel, laquelle [le] chapitre de Paris a de présent baillée à l'abbé de Saint-Jehan des Vignes; item, sur la maison Michel Thibert, séant en l'Escorcherie, qui fait front des deux rues en venant du pont Nostre-Dame, dont l'une descend à la rivière de Seine, par an VIII livres parisis de rente. Lesquelles maisons et rentes ledit Courtecuisse a voulu qu'ilz soient emploiées en distributions manuelles aux jours des grans festes annuelles, excepté les premières XVI livres parisis prinses pour faire son anniversaire et distribuer manuelment chacun an, le IIII^e jour de mars.

CCLXI.

18 sept. XIIII KAL. OCTOBRIS. Eodem die, obitus Hudrici et Osanne; pro quorum animabus, magister Haymo, filius eorum, ad eorumdem anniversarium faciendum, dedit nobis sexaginta libras Parisiensium, positas in emptione decime de Viriaco.... Preterea idem Haymo, canonicus Sancti Johannis Rotondi, pro salute anime sue, in ecclesia Parisiensi instituit perpetuum capellanum. Ad cujus sustentationem, contulit idem Haymo centum triginta et duas libras; de quibus Girardus, nepos ejusdem, habet triginta libras, quamdiu vixerit, reddituras post obitum dicti Girardi ad beneficium perpetui capellani. Contulit etiam ad hujusmodi capellaniam missale unum, calicem unum argenteum, et unum psalterium, et albam paratam et aliam sine paratura, infulam unam et tres napas ad cooperiendum altare. Instituit etiam fieri festum sancti Basilii ad semiduplum.... Ad quod faciendum, nobis concessit quinquaginta libras Parisiensium.

Anniversarium pape Clementis VI[i], x libras Parisiensium.

CCLXII.

19 sept. circa 1270. XIII KAL. OCTOBRIS. Eodem die, de domo Sancte Marie, obiit Henricus de Monmeignia, succentor. Qui dedit nobis, ad opus anniversarii sui et defuncti Thierrici, quondam fratris sui, canonici Parisiensis, parentum ac benefactorum ipsius, sexaginta solidos annui redditus, quos habebat de conquestu suo apud Castanetum, videlicet triginta solidos, super quinque quarteriis prati, que tenet Albertus Martini, in territorio quod vocatur Turrel, oneratis in decem denariis capitalis census; et triginta solidos, super quinque quarteriis prati, que tenet Johannes Carnifex, in territorio quod vocatur Vicus Merdosus, oneratis de quindecim denariis capitalis census. Item, dedit nobis, ad opus anniversarii predicti, tria quarteria prati, sita prope molendinum de Laiaco, onerata de sex denariis capitalis census; item, viginti octo solidos annui redditus liberos et quittos, quos habebat super quadam masura et uno arpento vinee eidem contiguo, sitis apud Cristolium, in vico qui tendit apud Maternam; quas masuram et vineam tenet

Johannes de Atrio, ad redditum antedictum. Que omnia sita sunt in censiva ecclesie Parisiensis.

CCLXIII.

XII KAL. OCTOBRIS. Eodem die, obiit christianissimus rex Ludovicus[1]; qui dedit nobis, ad fabricam ecclesie, ducentas libras Parisiensis monete, et calicem aureum duarum marcharum et dimidie, ad consecrandum cotidie corpus et sanguinem domini nostri Jhesu Christi majori missa, et duo pallia. Preterea, vacante episcopatu, ampliatum est, auctoritate ejus et consentiente capitulo, luminare ecclesie nostre. Dedit eciam nobis, pro ejus anima, Barbedaurus, decanus noster, clericus illius, quatuor arpennos vinearum, tres et dimidium apud Savies, juxta pressorium Sancti Martini de Campis, et dimidium apud Laiacum, in terra Beate Marie, ad stationem quatuor ferculorum, in die hujus anniversarii, ex consensu capituli, absque ulla dilatione reddendam ab omnibus qui domum Odonis archidiaconi, quam habet in claustro, et prefatas vineas, eidem domui assignatas, sunt possessuri. Ad cujus augmentationem anniversarii, dedit capitulum postmodum duos arpennos vinearum, apud Ivri, et unum modium vini de quadam masura, et quatuor denarios censuales de eadem masura, et preterea quoddam eschaameutum apud Orli, quod venditum fuit quadraginta libris, de voluntate capituli, ab Odone archidiacono, possessore ejusdem domus; que posite fuerunt in piguoratione decime de Fontaneto. Hec omnia tenebit quicumque predictam domum habebit, et reddet in die anniversarii, ut supradictum est, sine dilatione, predictam stationem; in qua participes nobiscum sunt canonici Sancti Dyonisii de Passu. Constituit autem capitulum missam hujus anniversarii cantandam esse ad majus altare et chorum teneri, et responsum et tractum cantari in cappis pallii. 20 sept. 1180.

De domo Sancte Marie, obiit magister Odo de Chautelupo; qui dedit nobis quadraginta libras Parisiensium, positas in emptione decime de Viriaco.

Eodem die, obiit magister Petrus de Alneto, canonicus Parisiensis, 15 sept. 1350.

[1] Ludovicus VII, qui die 18 septembris defunctus est.

secretarius domini regis Francorum, anno Domini millesimo ccc^{mo} quinquagesimo, in octabis nativitatis beate Marie; pro quo habemus quatuordecim libras Parisiensium annui redditus, pro anniversario suo quolibet anno faciendo.

CCLXIV.

21 sept. 1247. XI KAL. OCTOBRIS. Eodem die, anno Domini millesimo ducentesimo quadragesimo septimo, obiit Nicholaus de Carnoto, cantor Parisiensis[1]; qui dedit nobis tensamentum Civiliaci, quod emit a domino Symone de Pissiacu, milite, pro sexaginta quinque libris Parisiensium. Pro quo tensamento tenentur homines de Civiliaco nobis reddere singulis annis septem libras Parisiensium, in crastino sancti Andree. De quibus septem libris debet fieri distributio in anniversario magistri Hugonis de Navaria, eo modo quo scriptum est in anniversario ejusdem Hugonis. Totum vero residuum distribuetur in anniversario dicti Nicholai cantoris... Preterea dedit idem cantor, ad servicium ecclesie Parisiensis, unum thurihulum aureum quatuor marcharum et viginti sterlingorum.

CCLXV.

22 sept. circa 1260. X KAL. OCTOBRIS. Eodem die, de domo Sancte Marie, obiit bone memorie Raymundus de Claro Monte; qui dedit nobis mille libras Parisiensium et amplius, et domui Dei Parisiensi tantumdem. Item, dedit nobis viginti solidos augmentati census, super domo quam tenet Nicholaus de Volta, prope ecclesiam Sancti Nicholai de Cardoneto, in censiva Sancte Genovefe de Monte; de quibus debentur tres solidi et dimidius pro capitali censu. Item, dedit nobis viginti quatuor solidos augmentati census, super quibusdam domibus, sitis in vico Garneri de Sancto Lazaro, inter domum Petri Ferrici et jardinum Nicholai Arrodis, in censiva Sancti Martini de Campis; item, viginti solidos augmentati census, super quadam domo, que fuit Radulphi Joseph, in vico Templi, in censiva Sancti Martini; de quibus debentur liberis Stephani Bovier duo solidi et dimidius; item, tresdecim solidos augmentati census, super quadam domo, in eisdem vico et censiva, con-

[1] De Nicolao cantore, vide notam superius editam, t. II, p. 91; et *Hist. Eccles. Paris.*, t. II, p. 376.

tigua dicte domui de vico Templi; de quibus debentur duo solidi et dimidius predictis liberis. Quos census omnes sic oneratos capitulum Parisiense concessit Johanni Yspano, beneficiato in ecclesia Parisiensi, quoad vitam suam, pro sexaginta solidis annuatim reddendis dicto capitulo, in octabis beati Andree apostoli. Dedit eciam nobis idem Raymondus quinquaginta solidos augmentati census, super domo magistri Michaelis de Sancto Dyonisio, juxta portam Sancti Victoris, ante domum Bonorum Puerorum, in censiva pertinente ad domum claustri, in qua nunc manet Gaufridus, decanus Parisiensis. De quibus capitulum habebit et percipiet quadraginta solidos in manu mortua perpetuo, et predictus decanus et successores sui in dicta domo decem solidos residuos, pro concessione hujus manus mortue. Dedit eciam nobis aurum ad valorem trecentarum quadraginta trium librarum et duodecim solidorum Parisiensium, ad opus cujusdam beneficii, in Parisiensi ecclesia instituti. Aurum siquidem predictum positum fuit in theca sanctissimi confessoris Marcelli, cujus corpus in Parisiensi ecclesia requiescit. Propter quod, venerabilis pater Reginaldus episcopus et Gaufridus decanus totumque capitulum Parisienses concesserunt et statuerunt, ut beneficiatus sive capellanus dicti beneficii perpetuo habeat et percipiat annuatim de denariis fabrice ecclesie Parisiensis tresdecim libras Parisiensium, quatuor terminis Parisius consuetis, nomine beneficii supradicti. Capitulum vero concessit quod in Parisiensi ecclesia fient de cetero sex anniversaria, pro remedio anime ipsius. Primum videlicet predicto die obitus sui, secundum decimo kalendas decembris, tercium undecimo kalendas februarii, quartum undecimo kalendas aprilis, quintum sexto kalendas junii, sextum xi° kalendas augusti, si eisdem diebus commode possint fieri, alioquin proximis diebus sequentibus quibus commodius poterunt fieri. Et in primis quinque anniversariis distribuentur quadraginta libre Parisiensium, percipiende super pensionibus domorum claustri.... In sexto vero distribuentur census superius nominati.... Capitulum vero statuit anniversarium ejus in die obitus sui celebrari ad majus altare, canonicis chorum tenentibus in vigiliis et in missa, et quod fiat eo die quo legetur.

CCLXVI.

23 sept. circa 1150. IX KAL. OCTOBRIS. De domo Sancte Marie, obiit Joscelinus levita.

Eodem die, obiit Theobaldus archidiaconus. Qui dedit nobis quinque arpennos vinearum apud Lai, ad stationem quatuor ferculorum; in qua pares nobiscum sunt canonici Sancti Dyonisii de Passu; et domum que est super Secanam.

Obiit Droco subdiaconus; qui dedit nobis centum solidos et dolium unum.

De domo Sancte Marie, obiit Anselmus sacerdos; qui dedit nobis triginta quinque libras Parisiensis monete, ad stationem quatuor ferculorum.

Circa 1230. De domo Sancte Marie, obiit Paganus, canonicus Sancti Johannis Rotondi et sacerdos. Qui, ex voluntate et assensu capituli, in ecclesia nostra unum capellanum perpetuum instituit, qui pro anima sua et pro animabus fidelium defunctorum, singulis diebus privatis quibus poterit, missam pro fidelibus celebrabit, et in eadem ecclesia residentiam facere et cotidianis officiis bona fide interesse tenebitur per sacramentum suum. Ad ipsius autem sustentationem sacerdotis, dedit prefatus Paganus in perpetuam elemosinam quatuor arpenta vinearum, sitarum apud Montem Martirum, et duas domos, sitas unam in vico qui dicitur Sachalia et alteram versus Sanctum Germanum de Pratis, super calceatam; tali modo, quod quicumque predictam capellaniam possederit tenebitur de redditibus domorum et vinearum dictarum facere celebrari anniversarium dicti Pagani.

CCLXVII.

24 sept. circa 1270. VIII KAL. OCTOBRIS. Eodem die, obiit Odo de Sancto Dyonisio, diaconus; qui dedit nobis tres arpennos vinearum, apud Penthin, et decem libras Parisiensium, pro reddítu emendo, ad stationem quatuor ferculorum.

Ipso die, anniversarium Enardi, quondam presbiteri de Balneolis, quod concessit capitulum fieri in ecclesia nostra, ad preces domini Johannis dicti de Meudon, canonici Sancti Johannis Rotundi. Ipse vero Johannes dedit nobis triginta sex solidos Parisiensium, quos Johannes

Brichardi de Castaneto tenetur persolvere annuatim in festo Omnium Sanctorum, vel ejus heredes, pro quodam arpento prati, sito in Vico Merdoso, ad censum duodecim denariorum, et septem quarteriis terre arabilis, sitis in territorio quod vocatur Ulmus Galteri, ad censum viginti octo denariorum, in censiva nostra; ita tamen quod de predictis triginta sex solidis solvetur annuatim census, sicut plenius continetur in litteris curie Parisiensis inde confectis. Preterea dedit nobis quatuor arpenta et dimidium terre et prati, sita in territorio quod vocatur Turtel, in censiva nostra, ad censum sex solidorum Parisiensium. Idem vero Johannes tenebit omnia predicta quamdiu vixerit, et faciet distributionem in anniversario predicto.... Voluit autem dictus Johannes quod, post decessum suum, Enardus, nepos suus, teneat omnia supradicta, quamdiu vixerit, et faciet distributionem in anniversario, sicut predictum est; et, post mortem ipsius, omnia deveniant ad distributionem matutinarum. Et facient predictam distributionem in dicto anniversario. Concessit autem capitulum dicto Johanni anniversarium suum fieri post mortem ipsius cum anniversario supradicto.

Eodem die, obiit magister Johannes de Bercendi Curia, canonicus. Circa 1295.
Qui dedit nobis, pro anniversario suo faciendo in ecclesia nostra, quinque arpenta cum dimidio terre arabilis vel circiter, et dimidium arpentum vinee, sita in territorio de Castaneto, in censiva nostra; quas dictus magister Johannes emerat a thesaurario et fratribus domus hospitalis Jerusalem in Francia; que terre fuerunt quondam Oudini dicti Emeline. Item, dedit nobis unam peciam vinee, unum quarterium et amplius continentem, sitam in territorio de Cellis, in loco qui dicitur Entre deus Voes, contiguam vinee decani de Castaneto, ex una parte, et vinee Edeline dicte Saindarne, ex altera, in censiva nostra, oneratam in tribus denariis Parisiensium annui census, in sex quartis vini annui redditus, reddendis confratrie de Castaneto, et in viginti uno denariis annue decime et pressoragii, reddendis nobis. Proventus vero dictarum terrarum et vinearum, videlicet centum solidi vel amplius, distribuentur in ejus anniversario canonicis et majori altari servientibus; matricularii layci duodecim denarios habebunt.

CCLXVIII.

24 sept. 1311. Noverint universi quod[1] anno Domini millesimo ccc xi°, die veneris ante festum beati Michaelis archangeli, reverendus in Christo pater dominus Guillermus[2] Baufeti, de Aureliaco in Arvernia oriundus, ac Dei gracia hujus Parisiensis ecclesie episcopus, dedit et in perpetuum assignavit dicte Parisiensi ecclesie ac nobis valorem duodecim librarum Parisiensium annui et perpetui redditus admortisatas, quas ex suo proprio conquestu possidebat et habebat in locis infra scriptis : primo scilicet, proprietatem quatuordecim arpentorum vel circiter prati ad eum spectantem, sitorum in duabus peciis apud Moyssiacum Episcopi, sue Parisiensis dyocesis, in loco qui dicitur Noisement, que vir discretus Johannes de Erbona, curatus ecclesie parrochialis dicti Moyssiaci tenebat ab eo, ad ejus vitam, sub annua firma octo librarum Parisiensium, sibi in octabis Paschalibus annuatim debita et solvenda; item, easdem octo libras Parisiensium predicte firme, super ipsis pratis, dum vixerit idem curatus, habendas; item, septuaginta unum solidos et decem denarios Parisiensium annui redditus, quatuor terminis Parisius consuetis, immediate post quatuor solidos tam fundi terre quam census augmentati, super domo Stephani de Villa Nova, sita Parisius, in magno vico Sanctorum Innocentium, in quadruvio Sancte Katherine, contigua, ex una parte, domui Symonis de Sparnone, et, ex altera, domui Johannis de Gornayo, in censiva dicti domini episcopi; item, et octo solidos cum duobus denariis annui redditus, primos post viginti octo solidos census annui, quos idem dominus episcopus, dictis quatuor terminis, annuatim percipit immediate post duodecim denarios fundi terre super domo Petri Clarembaudi, fabri, sita Parisius, in censiva ipsius domini episcopi, versus portam Montis Martyrum, in cuneo vici qui dicitur l'Orde Rue, contigua domui Stephani dicti Quevalet; pro una missa de Sancto Spiritu, quamdiu vixerit, annuatim, in dicta ecclesia Parisiensi, ad majus altare, pro ipso ac suorum et omnium fidelium defunctorum redemptione peccaminum, amodo proxima dominica ante festum assumptionis beate Marie virginis sollenniter cele-

[1] Edit. apud Dubois, t. II, p. 561. [2] Guillelmus IV.

branda; et, postquam viam universe carnis ingressus fuerit, pro anniversario suo singulis annis ibidem, exitus sui die, perpetuis temporibus, solleunitate simili celebrando. Voluit autem predictus dominus episcopus.... Dedit insuper et assignavit, ut supra, dicte Parisiensi ecclesie, simul cum predictis, super dicta domo Petri Clarembaudi, singulis annis in posterum octo solidos Parisiensium annui redditus, de residuo predicti sui census ibidem percipiendos.... Et de omnibus supradictis habemus litteram in thesauro nostro.

CCLXIX.

VII KAL. OCTOBRIS. De domo Sancte Marie, obiit Evrardus sacerdos. 25 sept. 1197.
Eodem die, obiit magister Petrus, precentor et diaconus[1]; qui dedit nobis quadraginta libras, ad emendos redditus qui sunt apud Vitriacum[2].... De quibus denariis et de denariis archiepiscopi Bituricensis, empta fuit terra apud Vitri a Guillelmo de Goneio et matre ejus et fratribus, de voluntate et assensu comitis Roberti, de cujus feodo movebatur terra; cujus super hoc litteras habuimus.

CCLXX.

VI KAL. OCTOBRIS. Eodem die, obiit magister Thomas dictus Niger, archidiaconus Baiocensis. Qui dedit nobis, ad opus anniversarii sui in ecclesia nostra perpetuo celebrandi, quatuor libras Parisiensium augmentati census, percipiendas super quadam domo, sita Parisius, juxta portam claustri; quem censum vendidit Johannes Barbete.... Dedit insuper idem magister ecclesie nostre, ad opus unius capellanie, in ecclesia nostra ab eo institute, duodecim libras augmentati census, videlicet quatuor libras venditas ab eodem Johanne, super dicta domo, et octo libras venditas a Henrico de Gandavo, super tribus domibus et una granchia cum jardino, sitis in vico Serpentis, in censiva Sancti Germani de Pratis. Et super hiis habemus litteras abbatis et conventus Sancti Germani de Pratis. 26 sept. circa 1180.

[1] De hoc Petro, vide *Hist. Eccles. Paris.*, t. II, p. 144 et 145.

[2] Edit. apud Dubois, t. II, p. 145.

CCLXXI.

27 sept. circa 1260

V KAL. OCTOBRIS. De domo Sancte Marie, obiit Hugo de Viriaco, capellanus et concanonicus noster. Qui instituit in ecclesia Parisiensi quandam capellaniam, valore duodecim librarum Parisiensium, percipiendarum annis singulis a magistro et fratribus domus Dei Parisiensis; de quibus habentur littere capituli; item, semiduplum sancti Eligii in crastino nativitatis beati Johannis Baptiste; item, semiduplum sanctorum Cosme et Damiani. Statuit etiam quod cerei accenderentur in primis vesperis, in matutinis et in missis cujuslibet semidupli. Episcopus autem percipiet pro quolibet semiduplo decem et octo denarios.... Item, dedit clericis matutinalibus in ecclesia Parisiensi sexdecim arpenta et tria quarteria terre arabilis, sita apud Civiliacum et Laiacum, et unum arpentum prati, situm prope Burgum Regine, quod fuit defuncti Guillelmi Fabri. De quorum terrarum et prati proventibus predicti clerici matutinales tenentur reddere capellano qui capellam suam tenebit dimidium modium boni mistoli, conductum in claustro Parisiensi. Pro quorum terrarum et prati mortificatione, dedit nobis idem Hugo unum arpentum prati, situm prope molendinum de Laiaco, quod fuit Mathei, majoris de Orliaco. Pro cujus anniversario, habemus super molendino de Roseto undecim sextarios bladi, canonicis et majori altari servientibus distribuendos.... Et de his omnibus habentur littere.

CCLXXII.

28 sept. circa 1240.

IIII KAL. OCTOBRIS. De domo Sancte Marie, obiit Guido, thesaurarius Noviomensis, concanonicus noster; pro cujus anima, Guido de Palatiolo, quondam socius suus, dedit nobis quinquaginta libras Parisiensium, ad emendum redditus, ad distributionem faciendam in die anniversarii ipsius Guidonis.... De predicta autem pecunia fuerunt quidam redditus empti apud Civilliacum a Johanne de Dumo, milite, dicto de Sancto Michaele De qua emptione habet capitulum litteras sigillo curie Parisiensis sigillatas, de predictis rebus emptis plenam facientes mentionem.

CCLXXIII.

III KAL. OCTOBRIS. Eodem die, obierunt Johannes et Petronilla, uxor ejus. Quorum anniversarium fieri instituit Galterus Barbedaurus, concanonicus noster, filius eorum; et, ad hoc faciendum, dedit nobis quinquaginta libras Parisiensium, positas in emptione domus magistri Alberti vicarii. Habebamus autem in eadem domo quintam partem, quam idem Albertus in extrema voluntate nobis delegavit; totam alteram partem domus de supradictis et de nostris denariis emimus. Concessit autem capitulum dicto Galtero totam domum, quamdiu viveret, possidendam.... Post mortem vero predicti Galteri, domus prenominata ad nos revertetur.... Concessit autem capitulum Constantini, fratris sui, et Orabilis, amite sue, et antecessorum suorum in eodem anniversario memoriam fieri. Anniversarium quoque suum eodem die celebrari concessit eidem Galtero capitulum, nisi in vita sua aliter disposuerit. 29 sept. circa 1175.

CCLXXIV.

II KAL. OCTOBRIS. De domo Sancte Marie, depositio Adelini levite. 30 sept. circa 1200.

Eodem die, obiit Matheus, decanus de Melduno, concanonicus noster. De cujus Mathei et Nicholai, sacerdotum, denariis, scilicet viginti quinque libris, superadditis a capitulo sexaginta solidis, facta est emptio apud Rosetum. De qua emptione quicumque sit Roseti prepositus tenebitur nobis reddere stationem. Idem quoque Matheus dedit nobis vineam, apud Sanctum Clodoaldum, que vocatur Bretegne; pro qua habuimus quindecim libras, positas in pignoratione decime de Fonteneto, ad denarios matutinarum.

Eodem die, obiit magister Nicholaus de Gallandia, canonicus Parisiensis. Qui dedit nobis quadraginta libras Parisiensium, ad opus anniversarii sui in ecclesia nostra faciendi; que posite fuerunt in granchia domicelle Flore, que est versus Rosetum.

CCLXXV.

Anno Domini millesimo quadringentesimo octuagesimo octavo, die ultima mensis septembris, venerabilis et discretus vir magister Petrus Garnier, presbiter, in decretis licenciatus, archidiaconus Andegavensis 30 sept. 1488.

et hujus ecclesie nuper canonicus, ac prefati bone memorie domini Ludovici, episcopi Parisiensis, domesticus familiaris, obiit in domo sua claustrali, habente portale supra portum Sancti Landerici, quam de novo a fundamentis ingenti sumptu edificaverat. Pro cujus fundacione obitus, nos decanus et capitulum ecclesie Parisiensis habuimus et recepimus m[c] LV scuta auri, ex media parte vendicionis dicte sue domus. Reliqua vero media pars fuit tradita executoribus suis juxta formam appunctamenti, alias, cum ipsam domum edificaret, per nos cum eodem defuncto facti. Et quia ipsum defunctum inter benefactores hujus nostre ecclesie merito reputamus, idcirco, supplicationi executorum suorum annuentes, preter ipsius defuncti obitum, qui erit de decem libris Parisiensium, singulis annis in perpetuum, dicta die sui obitus aut alia die convenienti manualiter distribuendis, faciemus celebrari singulis annis imperpetuum, in hujusmodi nostra ecclesia, ad altare assumptionis beate Marie, in die sancti Petri, mense junio, hora sexta de mane, unam missam alta voce de dicto festo, cum commemoracione de beata Maria et de defunctis.... Et ad premissa facienda et continuanda, nos et officium anniversariorum ejusdem ecclesie nostre obligamus. Actum in capitulo, die xv[a] mensis novembris, anno quo supra.

CCLXXVI.

1 oct. circa 1200. KAL. OCTOBRIS. Obiit Aldebertus, pater, et Bella Femina, mater Radulphi de Lineriis, concanonici nostri. Ad quorum anniversarium faciendum, predictus Radulphus, filius eorum, dedit nobis centum libras Parisiensium, positas in edificatione domorum, quas edificavit dominus Suggerius, concanonicus noster, in Fimo, retro domum que fuit Theobaldi de Viriaco, quondam concanonici nostri. Statutum est autem a capitulo quod quicumque predictas domos possidebit, singulis annis quadraginta solidos Parisiensium reddet.

CCLXXVII.

2 oct. circa 1225. VI NON. OCTOBRIS. De domo Sancte Marie, obiit Suggerius, concanonicus noster; qui dedit nobis viginti libras Parisiensium, ad emendos redditus, quos Johannes, dicti Suggerii nepos, quamdiu vixerit, pos-

sidebit. Post cujus decessum, dicti redditus cum domibus que in Fimo sunt, quas idem Johannes, quamdiu vixerit, possidet, ad capitulum revertentur. Predictus vero Johannes de redditibus predictis viginti librarum et domorum dictarum, singulis annis, quadraginta solidos, die anniversarii predicti Suggerii, persolvet.... Post decessum vero memorati Johannis quicumque predictarum domorum possessor fuerit quadraginta solidos, die predicti anniversarii, singulis annis persolvet.

CCLXXVIII.

V NON. OCTOBRIS. Eodem die, obiit Radulfus, clericus de Samesio. Qui dedit nobis quamdam vineam, quam emit apud Suciacum, sitam juxta clausum ecclesie nostre, in censiva Beate Marie, et centum solidos Parisiensium; quam vineam cum centum solidis adjunximus domui magistri Alberici Cornuti. 3 oct.

CCLXXIX.

IIII NON. OCTOBRIS. Obiit Henricus de Belvaco, concanonicus noster et subdiaconus. 4 oct.

De domo Sancte Marie, obiit magister Odo de Gallandia, hujus ecclesie archidiaconus; cujus anniversarium capitulum fieri concessit, propter multa bona ecclesie nostre ab eo collata. Cum enim in ecclesia nostra non fieret mandatum quatuor primis diebus quadragesime, dedit nobis trigiuta libras Parisiensium, ad redditus emendos, distribuendos in dictis quatuor diebus in mandato. Habuimus eciam de bonis ejus quasdam vineas, sitas in territorio de Montcivri, traditas Herloino de Montcivri, ad firmam perpetuam quadraginta quinque solidorum, in festo sancti Remigii ab ipso et heredibus suis annuatim reddendorum. Habuimus etiam dimidium modium bladi annui redditus, in molendino de Ruppe, apud Vernotum, de bonis ejusdem archidiaconi comparatum. Circa 1200.

Obitus solennis magistri Johannis Fournier, decretorum doctoris, concanonici nostri, dum viveret; a quo habuimus ducentum et quadraginta scuta auri.

CCLXXX.

5 oct. circa 1260. III non. octobris. De domo Sancte Marie, obiit magister Johannes de Lachi, concanonicus noster et archidiaconus Meledunensis; qui dedit nobis prata sua, que habebat apud Christolium. Que, quia ea tenere non poteramus in manu mortua, vendidimus, pro centum libris; de quibus habuerunt clerici matutinales, juxta voluntatem dicti defuncti, decem libras, positas in melioratione domus eorum de Clauso Brunelli. Residuum vero conversum fuit in emptionem quatuor librarum augmentati census, percipiendarum annuatim super domum Theobaldi Belli Filii, in Magno Vico Parisius, prope portam cimiterii Innocentium, quatuor terminis Parisius consuetis, et in emptionem sexaginta quatuor solidorum augmentati census, percipiendorum super domum Johannis dicti Nivart, in vico de Glatigni, prout se comportat usque ad fluvium Secane, in censiva capituli Parisiensis, quatuor terminis Parisius consuetis.... Item, dedit, ad opus altaris Sancti Johannis, in ecclesia Parisiensi, unum missalle valoris duodecim librarum Parisiensium. Capellanus vero dicti altaris debet singulis diebus pro dicto defuncto memoriam facere in missa per orationem.

CCLXXXI.

6 oct. circ 1280. II non. octobris. Eodem die, de domo Sancte Marie, obiit magister Ansellus de Buciaco, concanonicus noster et subdiaconus. Qui dedit nobis quinquagintas libras Parisiensium, ad emendos redditus, pro suo anniversario faciendo; que tradite fuerunt Johanni de Meriaco, canonico ecclesie Sancti Mederici et vicario in ecclesia nostra. Quas siquidem idem Johannes posuit in melioratione cujusdam domus, quam emit in claustro Sancti Benedicti Parisiensis, in manu mortua, in censiva ecclesie Sancti Benedicti predicti. Pro quibus quinquaginta libris, assignavit nobis imperpetuum quinquaginta solidos Parisiensium annui census, percipiendos super dictam domum.

CCLXXXII.

7 oct. circa 1205. Non. octobris. Eodem die, obiit Avelina, uxor Galteri, regis Fran-

corum camerarii[1]; que dedit nobis magnam cortinam bordatam et quadraginta solidos in censu de Gravia.

Eodem die, obiit dominus Reginaldus de Putheolis, canonicus Parisiensis; qui dedit nobis IIe scuta, ad opus anniversarii sui.

Obitus pro magistro Guillelmo Evrardi, in theologia professore, quondam canonico Parisiensi; qui dedit nobis sex viginti scuta auri, exposita in reparacione domus feodi de Casteneto, una cum Expositione magistri Nicholai de Lira, in octo voluminibus, super Bibliam, scripta in pargameno in litera forme. Que quidem volumina fuerunt posita et incathenata in libraria ecclesie, in una bancha nova, sumptibus execucionis dicti defuncti. Insuper dedit nobis novem libras duodecim solidos Parisiensium perpetui redditus : primo, septem libras quatuor solidos super [domo] Cuniculorum, sita in Monte Sancte Genovefe Parisiensis, in qua moratur Jacobus Goyuet; item, quadraginta octo solidos Parisiensium perpetui redditus, super domo sita ante Parvum Hostium Navarre, in vico Bordellarum, in qua moratur Dyonisius Digart, tenente, ex una parte, domui pertinenti Guillermo Blondeau, et, ex alia parte, domui Arnoldi Dumont.

CCLXXXIII.

VIII ID. OCTOBRIS. Eodem die, obiit domina Genta; que dedit nobis viginti libras, ad stationem quatuor ferculorum. 8 oct.

Eodem die, obiit magister Gaufridus subdiaconus; qui dedit nobis triginta libras, ad stationem quatuor ferculorum, super domum Theoderici clerici de Corbolio, que sita est in paraviso.

Eodem die, obiit Reginaldus de Sancto Verano, presbiter vicarius Sancti Victoris in ecclesia Parisiensi. De cujus elemosina habuimus quadraginta quinque libras Parisiensium, ad opus anniversarii sui et parentum suorum annis singulis faciendi. De quibus quadraginta quinque libris, quadraginta una fuerunt implicate in decem sextariis bladi, medietate frumenti et medietate mouturangie, in molendino nostro de Roseto. Quod bladum fuit emptum a Johanne de Molendino Dato, armigero, et Emelina, ejus uxore, prout in litteris de dicta

[1] Galerus, camerarius Philippi II Augusti.

emptione confectis plenius continetur. Et quatuor libre fuerunt implicate in decima de Chateleines, in parrochia de Cichoneliis. Que decima fuit empta ab Auberto de Pouilli, milite, et ejus uxore.

CCLXXXIV.

9 oct. circa 1040. VII ID. OCTOBRIS. De domo Sancte Marie, obierunt Adelelmus precentor, et Johannes et Hermenerus levita.

Eodem die, obiit Hugo Satellus; qui dedit nobis decem libras, ad reparandas sedes in choro.

Et, eodem die, obiit Radulphus de Anonvilla; qui dedit nobis quadraginta libras Parisiensium, positas in emptione decime de Serceles.

CCLXXXV.

10 oct. VI ID. OCTOBRIS. De domo Sancte Marie, obiit Hurricus, sacerdos et archidiaconus.

Eodem die, obiit Guillermus de Sancto Dyonisio, diaconus. Qui dedit nobis medietatem domus que fuit Petronille de Vamvis, illam videlicet medietatem que est super Magnum Vicum; quam Girardus, nepos ejus, quamdiu vixerit, tenebit; post cujus decessum dicta domus ad denarios matutinarum revertetur. Dedit preterea quadraginta libras Parisiensium, que posite fuerunt in emptione facta apud Braiam cum aliis denariis. Habuimus etiam viginti quatuor libras Parisiensium, pro parte hereditatis sue quam nobis delegavit, positas in emptione tensamenti apud Andrisiacum.

CCLXXXVI.

11 oct. 1188. V ID. OCTOBRIS. Eodem die, statio magistri Gualteri et Andree.

Eodem die, obiit Robertus, comes Drocensis[1]; cujus anniversarium fieri concessimus, ad preces filii ejus comitis Roberti[2].... Concessimus preterea dicto Roberto, filio ejusdem Roberti, et Iolendi[3], uxori ejus, quod, post decessum eorum, anniversarium ipsorum, eadem die, cum anniversario predicto faciemus.

[1] Robertus I, dictus Magnus, Drocarum et Branæ comes, regis Ludovici VI filius, a fratre Ludovico VII comitatu Drocensi, anno 1137, dotatus.

[2] Robertus II, dictus Juvenis

[3] Iolendis de Cociaco, secundà Roberti II uxor.

CCLXXXVII.

IIII ID. OCTOBRIS. De domo Sancte Marie, obiit Galerannus precentor. Qui dedit nobis duas cappas pallii et domum in claustro, ad stationem quinque ferculorum; in qua pares nobiscum sunt canonici Sancti Dionisii de Passu; et septem arpennos vinearum, apud Ivri, et torcular, et aliam domum in claustro, ad stationem triginta pauperum. 12 oct. circa 1090.

Et, eodem die, obiit Adelaidis, comitissa de Rupe Furti; qui dedit nobis quoddam dossale, necnon et domum Droconis archidiaconi, que est ante ecclesiam Beate Marie. Circa 1090.

Et, eodem die, obiit magister Nicholaus de Capella, vicarius Beati Dyonisii de Carcere in ecclesia Parisiensi; qui dedit nobis quinquaginta libras Parisiensium, ad opus anniversarii sui, in emptionem quorumdam reddituum, quos emimus a nobili viro Philippo de Roissiaco, milite, et quibusdam aliis, apud Castanetum collocatas. Circa 1260.

CCLXXXVIII.

Anno Domini M° CCC° III°, die veneris post festum beati Mathei apostoli et evangeliste, dedit nobis reverendus pater dominus Robertus[1] de Haricuria, nunc episcopus Constanciensis ac quondam concanonicus noster Parisiensis, septem libras Parisiensium annui redditus, pro missa de Spiritu Sancto, ex nunc singulis annis, pro ipso, quamdiu vixerit, in ecclesia nostra, ad majus altare, in instanti IIII^{to} idus octubris[2], et sic deinceps anno quolibet, celebranda, duobus canonicis chorum tenentibus in capis de serico.... Post mortem vero dicti episcopi celebrabitur pro eodem missa pro defunctis, et fiet ejus anniversarium, singulis annis, die qua ipsum de hoc seculo migrare contigerit.... Quas quidem VII^{tem} libras Parisiensium dicto episcopo assignavimus super molendinum nostrum de novo refectum, situm in archa Magni Pontis, pro VI^{xx} libris Parisiensium, a domino Radulpho de Haricuria, concanonico nostro ac fratre et procuratore ejusdem, nobis solutis, nomine ipsius episcopi et pro ipso, integraliter conversis in necessariam refectionem ipsius molendini. Quod quidem molendinum in totum 27 sept. 1303.

[1] Robertus II.

[2] 12 oct.

corruerat propter inundanciam aquarum et pontium Parisiensium ruptionem. Super dictum vero molendinum tenetur camera nostra predictas vii libras percipere et eas solvere singulis annis, diebus supradictis; et sunt predicte septem libre primus census dicti molendini post septem libras Parisiensium, jam per nos ibidem domino de Haricuria assignatas. Item, capiceriis, pro luminari, duos solidos Parisiensium.

CCLXXXIX.

13 oct. circa 1210. III id. octobris. Eodem die, obiit Radulphus, camerarius noster; qui dedit nobis triginta libras Parisiensium, positas in emptione tensamenti de Andrisiaco. Et pro eisdem habuimus decem modios vini, quos prepositus vel quicumque, nomine capituli, tenebit, pro eisdem quinquaginta solidos annuatim reddet.

CCXC.

14 oct. II id. octobris. De domo Sancte Marie, obiit Harduinus sacerdos.

Eodem die, obierunt Reginaldus et Ermentrudis, uxor ejus. Pro quorum animabus et sua, Cardinalis, filius eorum, clericus ecclesie nostre, dedit nobis triginta libras Parisiensium, positas in emptione decime de Fraxinis. Capitulum vero, non immemor collati beneficii, ad preces ejusdem Cardinalis, qui diu in ecclesia nostra servierat, concessit anniversarium ipsius et anniversarium predictorum patris et matris ejusdem fieri.

Eodem die, obiit Johannes Ernaudi de Aurelianis, dyaconus, concanonicus noster; qui dedit nobis centum solidos Parisiensium annui redditus, apud Yvriacum juxta Parisius, capiendos super duabus masuris, in censiva capituli Parisiensis, videlicet quatuor libras super domo et porprisio Johannis Caille et Mathildis, ejus uxoris, et viginti solidos super domo Martini Basin et Petronille, ejus uxoris. De quibus centum solidis, prebendarii dicti loci, pro amortizatione, accipient singulis annis predictos viginti solidos, super predicta domo dictorum Martini et Petronille.

CCXCI.

15 oct. Id. octobris. De domo Sancte Marie, obiit Bartholomeus sacerdos;

qui dedit nobis viginti quinque libras, ad denarios matutinarum; cujus anniversarium debet fieri.

Obiit etiam Girardus de Orliaco, camerarius ecclesie nostre; qui, pro remedio anime sue, dedit nobis triginta libras Parisiensium, ad emendos redditus. Concessit autem capitulum eidem Girardo anniversarium suum singulis annis, in ecclesia nostra celebrari.

CCXCII.

XVII KAL. NOVEMBRIS. De domo Sancte Marie, obiit Adebrannus acolitus. 16 oct.

Eodem die, obiit Boso diaconus; qui de suo fecit institui festum beate Katherine in ecclesia nostra, eo tenore, quod canonici et majori altari servientes, qui in eodem festo matutinis intererunt, sex denarios habebunt.... Ad hoc autem faciendum habuimus de denariis ejus octoginta libras Parisiensium, positas in emptione decime de Sarceles.

CCXCIII.

XVI KAL. NOVEMBRIS. De domo Saucte Marie, obiit Adam levita. 17 oct.

Eodem die, obiit Hugo Porellus; qui dedit nobis duas domos supra Secanam, juxta claustrum, et duos arpennos vinearum apud Alteolum, ad stationem quatuor ferculorum. Has autem domos cum vineis prefatis concessit capitulum canonicis Sancti Dyonisii de Passu in perpetuum possidendas; ita tamen quod dicti canonici singulis annis predictam stationem statuto termino persolvent.

De domo Sancte Marie, obiit magister Albertus archidiaconus. Circa 1040.

Eodem die, statio Guermundi archidiaconi[1].

Eodem die, obiit magister Radulphus de Remis, concanonicus noster. Qui dedit nobis decem arpenta terre arabilis et unum arpentum prati, sita apud Civiliacum et Laiacum; quorum omnes proventus distribuentur die anniversarii sui.... Dedit etiam nobis idem Radulphus decem libras Parisiensium, ad augmentum distributionis horarum implicandas et antiphonarium dextri chori. Circa 1250.

[1] Guermundus archidiaconatum obtinebat annis 1160 et 1170.

CCXCIV.

18 oct. circa 1190 XV KAL. NOVEMBRIS. De domo Sancte Marie, obiit Philippus archidiaconus; qui dedit nobis domum ultra Parvum Pontem sitam, in proxima via que ducit ad Sanctum Germanuum. Dedit etiam nobis duos arpennos vinearum, unum in Petrosa, alium in via que ducit ad Yssi, ad faciendum anniversarium suum et Petrouille, matris sue. Voluit itaque quod canonici Sancti Dyonisii de Passu canonicis Beate Marie in hoc pares essent. Preterea dedit nobis duas cappas pallii et tunicam unam et dalmaticam unam.

Circa 1180. Eodem die, obiit Gentilis, nepos Alexandri, pape tercii; qui dedit nobis duas marchas argenti, et, ad opus ecclesie reparandum, duas marchas, et Sancto Johanni unam marcham.

De domo Sancte Marie, obierunt Ulgerus acolitus et Robertus subdiaconus.

Eodem die, obierunt pater et mater domini Richardi de Viri, canonici Sancti Dyonisii de Passu; pro quorum animabus et sua et domini Guillelmi, fratris sui, et benefactorum suorum, idem Richardus dedit nobis quadraginta libras Parisiensium, positas in emptione decime de Longemello.

18 oct. 1415. Anno Domini millesimo cccc° xv°, xviii° die octobris, obiit magister Simon Aligret, canonicus Parisiensis, subdiaconus. Pro quo habuimus octingenta scuta, ex venditione domus sue claustralis, ad emendum redditus, pro anniversario suo sollenni quolibet anno faciendo. Matricularii laici ii solidos, capicerius ii solidos.

CCXCV.

20 oct. circa 1010. XIII KAL. NOVEMBRIS. De domo Sancte Marie, obiit Hubertus, Sancti Marcelli decanus et sacerdos.

1227. Eodem die, obiit Bartholomeus, episcopus Parisiensis; qui dedit nobis missale in tribus voluminibus, et unum ordinarium episcopale, et unam cappam sericam et unam casulam et dalmaticam et tunicam de samicio et albam paratam cum amitio et stola et manipulo[1]. Pre-

[1] Edit. in *Gall. Christ.*, t. VII, col. 94; et in *Hist. Eccles. Paris.*, t. II, p. 318.

terea dedit clericis matutinalibus, in transverso de Confluentio, centum solidos annui redditus, distribuendos dictis clericis singulis diebus, in matutinis et laudibus mortuorum. Dedit capitulo etiam ibidem centum solidos annui redditus.... Insuper dedit capitulo, in dicto transverso de Confluentio, centum solidos Parisiensium annui redditus.... Concessit autem capitulum memoratum anniversarium ipso die quo legetur singulare celebrari, eciam si aliud anniversarium eodem die acciderit.

CCXCVI.

XII KAL. NOVEMBRIS. Eodem die, obiit Guillermus de Spiueto, sacerdos, canonicus Sancti Johannis Rotundi; qui dedit nobis, ad opus anniversarii sui et parentum suorum, tria quarteria vinee site apud Balneolum, in loco qui dicitur Trop-Coutant, in uno tenenti, et domum que fuit quondam Guillermi dicti Helloisis, in censiva nostra; ita quod omnia ista tenebunt Colinus et Guillotus, nepotes ipsius Guillermi, quamdiu vixerint, et facient distributionem.... Post decessum vero ipsorum Colini et Guilloti, predicte res ad nos revertentur. 21 oct. circa 1280.

CCXCVII.

Anno Domini M° CCC° III°, die veneris post festum sancti Remigii, dedit nobis venerabilis vir dominus Radulphus de Haricuria, concanonicus noster Parisiensis ecclesie, decem libras Parisiensium annui redditus, debitas a magistro Roberto de Yenvilla, sitas super uno herbergamento, sicut se proportat, cum vineis que sunt a parte preteriori, sitis apud Courbereuse, in terra nostre ecclesie Parisiensis, et super quatuor modiis seminature terre arabilis, in territorio de Courbereuse, que dictus magister Robertus emit de novo in censiva et dominio ecclesie nostre Parisiensis, et super omni eo specialiter quod dictus magister Robertus habet in granchia decimaria de Courbereuse; sitas eciam super omnia bona, mobilia et immobilia, que dictus Robertus et ejus heredes habent apud Courbereuse et alibi, ubicumque sint.... Dedit nobis insuper dictus dominus Radulphus duodecim sextarios cum uno minoto bladi, ad mensuram Carnotensem, sitos super molendinum de Vile, situm prope Courbereuse, in terra nostre ecclesie Parisiensis. Que premissa omnia et singula dedit nobis dictus dominus Radulphus 4 oct. 1303.

pro missa de Spiritu Sancto, ex nunc singulis annis, pro ipso, quamdiu vixerit, in nostra ecclesia, ad majus altare, in instantibus, XII kalendas novembris, et sic deinceps anno quolibet, sollempniter celebranda, cum duobus canonicis chorum tenentibus in capis de serico.... Post mortem vero dicti domini Radulphi, celebrabitur pro eodem missa pro defunctis, et fiet ejus anniversarium sollempniter, singulis annis, die qua ipsum de hoc seculo migrare contigerit.... Item, dedit nobis pro anniversario predicto LXX solidos Parisiensium annui redditus, capiendos in bursa camere nostre, quos eidem assignavimus in dicta bursa de pecunia habita penes nos ex venditione domus sue claustralis.

CCXCVIII.

22 oct. 1177. XI KAL. NOVEMBRIS. De domo Sancte Marie, obiit Gisioldus levita.

Eodem die, obiit magister Petrus Manducator[1], cancellarius; qui dedit nobis viginti quinque libras, ad stationem quatuor ferculorum, et cuppam argenteam, ad denarios matutinarum[2].

1243. Item, obiit Albericus[3], Carnotensis episcopus. Qui, in ecclesia Parisiensi a juventute nutritus, multa bona ecclesie nostre fecit, precipue in prepositura Roseti, in qua fideliter se habuit, et terram et homines laudabiliter custodivit[4]; per cujus prudenciam et sollicitudinem nemora Venule communia ad agriculturam sunt redacta; et totum jus, quod comes Campanie et multi milites ac etiam quamplures alii habebant in nemoribus memoratis, ad proprietatem et dominium solius ecclesie Parisiensis acquisivit; granchiam et domos sumptuosas cum auxilio capituli edificavit ibidem. Ceterum in prepositura Vernoti nemora communia, que nemora Beate Marie vocabantur, in quibus comes Campanie multique alii magni et potentes usum habebant, essartari et ad agriculturam redigi cum magnis sumptibus procuravit, et ibidem granchiam magnam et sumptuosam, adjuvante capitulo, edificavit, et multa ornamenta ecclesie nostre dedit, et multa alia bona nobis fecit. Propter que, capitulum concessit eidem anniversarium suum in ecclesia Pari-

[1] Petrus Comestor seu Manducator, professor theologiæ et cancellarius ecclesiæ Parisiensis.

[2] Edit. in *Hist. Eccles. Paris.*, t. II, p. 143.

[3] Albericus Cornut.

[4] Relatum in *Gall. Christ.*, t. VIII, col 1161.

siensi annuatim celebrari.... Ita quod quicumque tenuerit granchiam de bosco Venule, quam ipse construxit, predictos denarios solvere tenebitur annuatim.

CCXCIX.

X KAL. NOVEMBRIS. De domo Sancte Marie, obiit Bernerus decanus[1]. 23 oct. circa 1146.

Eodem die, obiit Gaufridus, domini regis capellanus. Qui dedit nobis quadraginta libras, ad redditus emendos; eo tenore, quod in anniversario ipsius, *etc.* Denarii autem ad hoc faciendum accipiendi sunt de domo quam fecit fieri Galo succentor, in pratello suo, ante capellam Sancti Aniani.

CCC.

IX KAL. NOVEMBRIS. De domo Sancte Marie, obiit Galterus sacerdos. 24 oct.

Eodem die, obiit Hugo[2], Sancti Dyonisii abbas; cujus anniversarium, 1197. ob plurima obsequia ecclesie nostre ab ipso prestita, in perpetuum celebrare concessimus[3].

Eodem die, de domo Sancte Marie, obiit Johannes Suggerii, sacerdos; qui dedit nobis quadraginta libras Parisiensium, ad emendos redditus. Circa 1250.

Concessimus etiam ut eodem die celebretur anniversarium Guillelmi de Sancto Dyonisio, thesaurarii Pontisarensis[4], concanonici nostri, nepotis abbatis supradicti; qui dedit nobis albam unam pulchram et paratam cum amictu et manipulo. Dedit insuper cappam sericam et tunicam pulcherrimam de panno aureo baldequino.

CCCI.

VI KAL. NOVEMBRIS. Eodem die, obiit magister Mauricius, canonicus Eboracensis; cujus executores dederunt nobis sexaginta solidos Parisiensium annuatim persolvendos, et canonicis et majori altari servientibus, qui anniversario ejus intererunt, in vigiliis et in missa distribuendos.... Dederunt etiam viginti solidos Parisiensium clericis de 25 oct. circa 1230.

[1] Relat. in *Gall. Christ.*, t. VII, col. 195.

[2] Hugo V Foucault.

[3] Edit. in *Gall. Christ.*, t. VII, col. 383. — Dubois mortem Hugonis V ad annum 1196 perperam assignat. Vid. *Hist. Eccles. Paris.*, t. II, p. 166.

[4] Circa annum 1240 defunctus est.

choro.... Predictas vero quatuor libras tenentur prior et fratres Sancti Lazari Parisiensis reddere nobis in crastino octabarum beati Dyonisii annuatim. Et fiet anniversarium ipsa die qua legetur.

CCCII.

26 oct. circa 1219. VII KAL. NOVEMBRIS. Eodem die, obiit Galterus, regis Francorum camerarius[1]; qui dedit nobis, pro anniversario suo, quadraginta solidos in censu de Gravia,.... Dedit etiam nobis partem insule Beate Marie; eo tenore, quod quitquid inde percipietur in matutinis distribuetur, post obitum Petri, Turonensis thesaurarii, canonici nostri.

CCCIII.

27 oct. circa 1200. VI KAL. NOVEMBRIS. De domo Sancte Marie, obiit Odo de Viriaco, sacerdos; pro cujus anima, Theobaldus, nepos ipsius, dedit nobis quadraginta libras Parisiensium, positas in pignoratione decime de Fonteneto.

CCCIV.

28 oct. circa 1222. V KAL. NOVEMBRIS. Eodem die, obiit Symon Cornutus[2], miles; pro cujus anima, ipsius filii, dilecti fratres et concanonici nostri, Galterus, decanus noster, et magister Albertus, frater ejus, dederunt nobis centum viginti arpennos terre, quos propriis sumptibus suis extirpari fecerunt, in nemoribus nostris de Roseto. Cum enim ipsi, ad petitionem nostram, suis laboribus et expensis, eadem nemora procurassent extirpari, tali conditione, quod emolumenta omnia inde provenientia sibi haberent, preterea medietatem reddituum earumdem terrarum, in censu videlicet et decima, quamdiu viverent, possiderent, prefatos centum viginti arpennos licite vendere poterant, salvis censu et decima nostra, sicut fecerant de alia terra ejusdem nemoris. Ipsi vero eos nobis, absque aliquo pretio, contulerunt. Nos autem, eorum beneficii

[1] Galterus, Philippi II Augusti camerarius, qui, cruce assumpta cum Petro, Parisiensi episcopo, fratre suo, Hugone, comite Nivernensi, et multis aliis, Orientem profectus est, et, dum obsidebatur Damiata a Sarracenis, captus est. De hoc vide *Hist. Eccl. Par.*, t. II, p. 265 et 396.

[2] Simon Cornutus, dominus Ville Nove prope Monasteriolum, pater Galteri, archiepiscopi Senonensis, et Alberici, episcopi Carnotensis, de quibus jam sermonem habuimus.

non immemores, unanimiter in capitulo nostro statuimus quod singulis annis, in ecclesia nostra, anniversarium patris eorum celebrabimus.... Concessimus insuper quod, nisi aliter disposuerint supradicti fratres de anniversario matris sue, nos, ex quo viam universe carnis ingressa fuerit, ejus anniversarium hac eadem die cum anniversario patris eorum adjungemus. Die qua legitur debet fieri.

V kalendas, obiit bone memorie dominus Simon[1], olim episcopus Carnotensis; qui dedit nobis trecentas libras bonorum Parisiensium, ad opus anniversarii sui[2]. Capitulum vero ordinavit ejus anniversarium fieri singulis annis de sexdecim libris Parisiensium, percipiendas super domum ad Galeam, ultra Parvum Pontem, annuatim. Que domus de dicta pecunia fuit reparata et in bono statu posita, que prius erat ruinosa. 1297.

CCCV.

IIII KAL. NOVEMBRIS. De domo Sancte Marie, obiit Guido de Messa, concanonicus noster. Qui dedit nobis domum quamdam, sitam in terra nostra de Garlanda, et voluit quod Stephanus de Messa, canonicus Sancti Benedicti, dictam domum, quamdiu viveret, teneret; ita quod singulis annis, die anniversarii dicti Guidonis, *etc.*... Post mortem vero prefati Stephani, predicta domus in manu capituli deveniet. 29 oct. circa 1260.

CCCVI.

III KAL. NOVEMBRIS. Eodem die, obierunt pater et mater Gaufridi, archidiaconi Parisiensis; ad cujus preces, capitulum Parisiense concessit anniversarium eorum in eadem ecclesia in perpetuum fieri. Concessit insuper capitulum quod, post mortem dicti archidiaconi, anniversarium ejus fiet in perpetuum simul eodem die, pro ipso et patre et matre et primogenito fratre ipsius archidiaconi; qui dedit capitulo capitalem censum duodecim denariorum supra tres domos, sitas retro domum ipsius archidiaconi in claustro, et quitquid habebat in domibus supradictis, quarum duas emit, et ipsarum duarum alteram melioravit, ibi cellarium faciendo. Rogavit etiam archidiaconus et capitulum con- 30 oct. circa 1255.

[1] Simon I de Perroche.

[2] Edit. in *Gall. Christ.*, t. VIII, col. 1169.

cessit quod medietas proventuum dictarum domorum, die hujus anniversarii, distribuatur hoc modo, *etc.*

CCCVII.

31 oct. circa 1270 II KAL. NOVEMBRIS. De domo Sancte Marie, obiit Balduinus subdiaconus et Albericus levita.

Item, de domo Sancte Marie, obiit Aubertus de Nemosio, sacerdos, concanonicus noster; qui dedit nobis centum solidos Parisiensium annui redditus in manu mortua, in pedagio suo de Nemosio, ad opus sui anniversarii, exceptis duobus solidis quos matriculariis ejusdem ecclesie voluit erogari. Hos centum solidos solvit camera.

CCCVIII.

1 nov. circa 1245. KAL. NOVEMBRIS. Eodem die, obiit Hugo, Cathalanensis archidiaconus; qui, ob remedium anime sue et bone memorie avunculorum suorum, Petri[1], Parisiensis, et Philipi[2], Cathalanensis episcoporum, dedit nobis ducentas libras Parisiensium, ad opus anniversarii sui et predictorum episcoporum implicandas. Et solvit camera octo libras, in eorum anniversario distribuendas.

CCCIX.

2 nov. circa 1215. IIII NON. NOVEMBRIS. De domo Sancte Marie, obiit Joscelinus.

Eodem die, debetur statio de precaria que est apud Joiachum, quam tenet modo Guillelmus de Sancto Dyonisio, in qua sunt septem arpenta vinearum et dimidia et quatuor arpenta terre arabilis, et duo sextaria frumenti et duo ordei de redditu, et due costume et dimidia, et quinquaginta septem solidi de censu ad festum sancti Remigii. Pro hac autem precaria reddit dictus Guillermus ad horas quinquaginta solidos, in octabis purificationis beate Marie, et stationem istam in qua nichil percipiunt canonici de Passu.

31 oct. 1502. Magister Petrus de Chasteaupers, hujus ecclesie canonicus, fundavit in eadem ecclesia sex processiones de *Inviolata,* post vesperas, in vigilia

[1] Petrus II de Nemosio. [2] Philippus II de Nemosio.

die[1] et per octabas beatissimi Marcelli, in mense octobri, cum responsorio de sancta Genovefa, *etc.*, ut lacius patet ex registro capituli dicte ecclesie et litteris sub sigillo ipsius confectis, anno Domini millesimo quingentesimo secundo, in vigilia Omnium Sanctorum, ultima die mensis octobris.

Nota quod ista fundacio de anno predicto suum non fuit sortita effectum; sed magister Petrus de Chasteaupers, nepos prefati magistri Petri, illam fundavit et dotavit de viginti libris Parisiensium, ut in registro capituli de anno M° quingentesimo XI°, mense februario, continetur. Febr. 1512.

Notandum quod nos in septimana Omnium Sanctorum, vel quamcicius postea poterimus, debemus facere anniversarium Petri presbiteri, quondam rectoris ecclesie de Bordeniaco, avunculi domini Radulphi de Spedona, canonici Ebroycensis, et in crastino dicti anniversarii debemus celebrare unam missam de Spiritu Sancto pro eodem Radulpho.... Predictus autem dominus Radulphus, ob remedium anime sue et predicti Petri, avunculi sui, dedit nobis manerium suum de Spedona, situm ante ecclesiam Sancti Beati, prout in latitudine et longitudine se comportat, cum virgulto, in quo est equorum lavatorium, et cum tribus arpentis prati uno quarterio minus, sitis in territorio quod dicitur la Bordeniere, retento in predictis rebus quoad vixerit usufructu. Pro quibus idem Radulphus dabit nobis singulis annis centum solidos Parisiensium, in festo Omnium Sanctorum distribuendos, ut superius est expressum. Post decessum suum vero, in die obitus sui, anniversarium ipsius et predicti avunculi sui pariter faciemus.

Hac die commemoracionis omnium defunctorum Jacobus Divitis, decanus, cum semiduplo ab antiquo fundato, ut de cetero fiat illa die integrum duplum, fundavit aliud semiduplum; pro quo dedit nobis octo libras Parisiensium amortizatas, quas emit a nobis anno Domini M° CCC° octuagesimo quarto, in septembri, percipiendas singulis annis, super officio stacionum pecunie, quarum fiet distribucio manualis in matutinis et missa.... Pro quibus octo libris et quatuor aliis libris de quibus fit mencio infra, in vigilia nativitatis Domini, idem Jacobus tradidit nobis sexcentos francos auri boni ponderis, qui fuerunt con- Sept. 1384.

[1] 2 nov.

versi in sumptus factos, tam pro obtinenda unione ecclesie parrochialis de Liricantu, quam pro exempcione ecclesie Parisiensis habenda, et in aliis utilitatibus ecclesie.

CCCX.

3 sept. 1279. Anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo nono, dominica post festum sanctorum Egidii et Lupi, obiit bone memorie Stephanus dictus Tempier, oriundus de Aurelianis, Parisiensis episcopus; qui dedit ecclesie Parisiensi et nobis tres potos argenteos deauratos, ponderis viginti duarum marcharum et trium unciarum quindecim sterlingorum argenti, novem unciarum auri, ad reponendum oleum sanctum et crisma. Item, dedit nobis cortinam sericam cum baculo ad cooperiendum dictos potos, precio novem librarum vel circa. Item, dedit nobis calicem aureum cum patena, ponderis quatuor marcharum auri, de quo facta fuit cuppa ad reponendum eucharistiam. Item, dedit nobis samittum rubeum, in reditu de concilio Lugdunensi, precio viginti librarum. Item, dedit nobis unum cyclatum, precio duodecim librarum. Item, dedit nobis orfresia cendala, pro casula, dalmatica et tunica, precio undecim librarum. Item, dedit nobis duos pannos qui dicuntur dyaproalbi, precio decem et octo librarum. Item, dedit libros episcopatui Parisiensi et episcopis successuris, ad officium ecclesie pertinentes, videlicet duo missalia, euvangelium et epistolas in duobus voluminibus, tria gradalia, ordinarium episcopale; item, unum collectarium; item, unum troperium; item, unum breviarium grosse littere, ad usum Parisiensem; item, unum breviarium in duobus voluminibus, coopertum corio viridi; item, unum breviarium parvum; item, duo ordinaria de ordinacione servicii; item, parvum scrinium cum vase argenti, in quo reponitur crisma. Item, dedit episcopatui et episcopis Parisiensibus, ad usum eorum, omnia utensilia lignea, ferrea, stagnea, erea, cuprea, que habebat in hospitio Parisiensi, de Sancto Victore, de Villa Cereris et de Moysiaco et de Sancto Clodoaldo. Item, dedit episcopo et episcopatui Parisiensi residuum bonorum suorum, solutis prius legatis, debitis et forefactis et injuste habitis vel exactis, ad emendum possessiones et redditus, ad opus episcopatus et episcoporum qui sunt in posterum successuri. De bonis autem residuis dicte executionis recepit ab execu-

toribus dicti defuncti bone memorie Ranulphus, Dei gratia Parisiensis episcopus, ejus immediate successor, mille trecentas triginta tres libras Parisiensium. Que summe pecuniarum implicate fuerunt in empcione facta apud Gentiliacum, a Gaufrido de Jaignico, armigero, per dictum Ranulphum, dominum episcopum, videlicet manerio suo, pratis, vineis, terris, censibus, dreturis, furno et aliis rebus, apud Gentiliacum. Prius autem acquisierat idem dominus Stephanus episcopus feodum de Gentiliaco, quod emit a Philipo de Bruncio, et quinquaginta tres solidos et quatuor denarios annui redditus super domo la Pie, moventes de dicto feodo. Item, acquisierat novem avene sextarios annui redditus, et quatuor arpennos et dimidium vinearum et quinque modia vini annui redditus, et sex solidos et sex denarios annui census, apud Sanctum Clodoaldum, emptos ab abbate de Hermeriis; item, quatuor libras annui redditus, emptas ab abbate de Alba Curia, percipiendas in preposítura sive censu de Caprosia, in crastino Omnium Sanctorum. Item, acquisierat centum arpenta bosci, emptos juxta Moysiacum; item, decem libras annui redditus, emptas ab Adam Popin, in transverso de Conflancio; item, granchiam juxta vineas de Septem Viis. Item, edificaverat domos de novo factas juxta granchiam de Sancto Honorato. Item, acquisierat feodum castri et castellanie de Maurepast, emptum a Johanne de Soisiaco, armigero. Item, dedit bibliam potillatam[1] in duobus voluminibus, quam emit precio ducentarum librarum Turonensium, ad opus cancellarie et cancellarii Parisiensis. Item, dedit clericis matutinalibus triginta libras Parisiensium, ad emendos redditus, ad opus anniversarii ejusdem et parentum suorum. Consideratis autem predictis et aliis que fecerat ad utilitatem ecclesie et episcopatus Parisiensis, dedit nobis predictus Stephanus, ad opus anniversarii sui et parentum suorum, septem libras Parisiensium, capiendas annis singulis de bonis episcopatus Parisiensis.... Preterea bone memorie Ranulphus, quondam Parisiensis episcopus, ejusdem Stephani immediate successor, dedit nobis, ad augmentacionem anniversarii predicti domini Stephani, centum solidos Parisiensium annui redditus, quos idem dominus Ranulphus emit de suo proprio a domina de Caprosia.... Con-

[1] Legendum *postillatam*, id est postillis seu notis illustratam.

stituit autem capitulum anniversarium ejusdem Stephani et parentum ejus celebrari ad majus altare in vigilia[1] beati Mathei apostoli[2].

CCCXI.

2 nov. IIII NON. NOVEMBRIS. De domo Sancte Marie, obiit magister Stephanus Limovicensis, canonicus Parisiensis. Qui dedit nobis dimidium arpentum terre arabilis, situm apud Castanetum, in campo qui dicitur Familleus; item, quarterium et dimidium vinee site au Neffliers; item, unum quarterium vinee situm inter duas vias; item, tria quarteria terre, sita en Val Germain : totum in censiva capituli Parisiensis. Pro quibus terris et vineis, Micheletus, Yvo et Petrus dicti Boivin, fratres, reddent capitulo Parisiensi, in perpetuum quolibet anno, in festo sancti Martini hyemalis, sexaginta solidos Parisiensium; et tenentur solvere omnia onera dictarum terrarum et vinearum. Preterea dedit nobis unum arpentum prati, situm in territorio de Ravenel, inter pratum Johannis de Marivais et viam de Ravenel Item, dedit nobis tria quarteria, sita in territorio de Meremorte, inter pratum heredum domini Henrici de Plesse et Guillermi de Fonte, ex una parte, et inter tria quarteria horarum, ex alia, in censiva nostra. Que septem quarteria onerata sunt in decem denariis Parisiensibus cum obolo.... Item, dedit nobis tria quarteria prati, sita a Mortemer, inter vineam sacerdotis de Castaneto, ex una parte, et pratum Gaufridi de Vico, ex alia, in censiva nostra, onerata in novem denariis. Dicti vero sexaginta solidi et exitus et proventus dictorum pratorum distribuentur in ejus anniversario.

CCCXII.

3 nov. circa 1220. III NON. NOVEMBRIS. Eodem die, obiit Robertus de Gonseinvilla, concanonicus noster; in cujus anniversario, *etc.* Ad hanc autem distributionem faciendam, reddet nobis decem libras quicumque domum quam habemus super Parvum Pontem tenebit.

De domo Sancte Marie, obiit Haimo levita. Qui dedit nobis domum in claustro; eo tenore, ut quocienscumque domus predicta in manus

[1] 20 sept

[2] Edit. in *Gall. Christ.*, t. VII, col. 113, et in *Hist. Eccles. Paris.*, t. II, p. 502.

capituli, cedente vel decedente domino ejus, venerit, tociens de ea capitulum centum solidos et hospitale centum similiter habeat.

CCCXIII.

II NON. SEPTEMBRIS. Eodem die, obierunt Johannes Matricularius et uxor ejus Gila; pro quorum animabus, Philippus, concanonicus noster, filius eorum, dedit nobis triginta libras Parisiensium, ad stationem faciendam in die anniversarii ipsorum. Nos autem de predictis triginta libris emimus domum que fuit Hugonis, custodis claustri, sitam juxta Sanctum Landericum, cum censu quem emimus a Petro, genero domini Petri, militis, de Civilliaco; quam postea concessimus Suggero, concanonico nostro, ad annuum censum sexaginta solidorum. 4 nov circa 1210.

De domo Sancte Marie, obiit Haganus, sacerdos; qui dedit nobis domum in claustro.

Eodem die, anniversarium matris Roberti de Gonseinvilla, concanonici nostri. Pro cujus anima, predictus Robertus, filius ejus, dedit nobis le gort Gordon, qui est apud Andrisiacum; pro quo, quicumque erit prepositus Andrisiaci reddet nobis annuatim triginta solidos Parisiensium.

CCCXIV.

NON. NOVEMBRIS. De domo Sancte Marie, obiit Aiulfus levita. 5 nov. circa 1270.

Eodem die, de domo Sancte Marie, obiit Aubertus, domini pape notarius. Qui dedit nobis quinquaginta libras Parisiensium, quas una cum centum libris, nobis legatis a magistro Helya de Caturco, canonico Parisiensi, ad opus anniversariorum ipsorum, implicavimus in emptionem octo librarum Parisiensium augmentati census, oneratarum de novem denariis capitalis census, debitis annuatim canonicis Sancti Mederici Parisiensis, in quorum censiva site sunt dicte octo libre, et de quibus debentur in nativitate Domini et in nativitate beati Johannis Baptiste annuatim triginta solidi, super domum magistri Gaufridi dicti Fortis, sitam Parisius, in vico Sancti Mederici, contiguam domui defuncti Roberti de Edera et magne domui Petronille dicte Lingue Anseris; et super dicta domo Petronille, centum solidi Parisiensium, quatuor terminis Parisius consuetis; item, super quadam parva domo

ipsius Petronille, contigua dicte magne domui, quinque solidi; item, super domo Radulphi d'Anville, contigua predicte parve domui ipsius Petronille, quinque solidi; item, super duabus domibus contiguis, que fuerunt Rogeri dicti Simi, in vico de Marivas, decem solidi; item, super domo defuncti Richardi Bequepois, contigua duabus domibus supradictis, quinque solidi; item, super domo defuncti Guillelmi dicti Mauduit, contigua dicte domui ipsius defuncti Richardi, quinque solidi. Quas octo libras emimus ab executoribus magistri Milonis de Corbolio; et, pro quarum amortizatione, habuerunt a nobis dicti canonici Sancti Mederici triginta duas libras Parisiensium, conversas in utilitatem ecclesie sue.

1296. Anno Domini m° cc° nonagesimo sexto, dederunt ecclesie Parisiensi illustrissimus rex Francorum Philippus et Johanna, ejus uxor[1], viginti libras Turonensium annui redditus, quas dictus rex et regina percipiebant, pretextu comitatus Campanie et Brie, super grangiam nostram que vocatur Lessart, prope Vernotum, annis singulis, in crastino Omnium Sanctorum. Capitulum vero Parisiense, non immemor tanti beneficii, considerans devocionem quam dicti rex et regina habent erga sanctum Eutropium, episcopum Xantonensem et martirem, constituit festum predicti beati Eutropii in Parisiensi ecclesia ad semiduplum, II kalendas maii, sollempniter celebrari.... Preterea capitulum celebrari unam missam constituit de Sancto Spiritu, pro rege, die jovis, semel in anno, et aliam, pro regina, de beata Maria, die lune.... Post vero decessum dictorum regis et regine dicte misse in eorum anniversaria convertentur[2].

Oct 1301 Anno Domini millesimo ccc° primo, mense octobris, dedit nobis reverendus pater Guilliermus de Matiscone, episcopus Ambianensis, centum libras Turonensium, pro missa de Sancto Spiritu.... Post decessum autem dicti episcopi dicta missa in ejus anniversarium convertetur.

Circa 1285. Obiit Agnes, relicta Johannis Sarraceni, illustris regis Francie quondam cambellani; pro qua habemus quadraginta quinque solidos Parisiensium, capiendos et amortyzatos super burgensia Parisiensi, singulis

[1] Philippus IV, cognomento Pulcher, et Johanna de Campania, Navarræ regina, ejus uxor.
[2] Edit. in *Hist. Eccles. Paris.*, t. II, p. 536.

annis, in festo ascensionis Domini, distribuendos in die anniversarii sui.

CCCXV.

VIII. ID. NOVEMBRIS. Eodem die, obiit Natalis de Cormeliis, canonicus Sancti Johannis Rotondi Parisiensis. Qui dedit domum suam, sitam ab oppositis Sancti Johannis Rotondi Parisiensis, illi qui prebendam suam, post decessum ipsius Natalis, in dicta ecclesia obtinebit; ita tamen quod idem successor suus anniversarium ipsius testatoris et magistri Johannis de Barris ac eorum benefactorum in ecclesia Parisiensi, singulis annis, perpetuo facere teneatur. 6 nov. circa 1290.

CCCXVI.

VI ID. NOVEMBRIS. De domo Sancte Marie, obiit Hugo Infans, subdiaconus; qui dedit nobis tres arpennos vinearum et dimidium, in Monte Martirum, et centum solidos Parisiensis monete, ad stationem quatuor ferculorum, quos possessor domus sue est habiturus et in morte nobis redditurus. In qua statione pares nobiscum sunt canonici Sancti Dyonisii de Passu. Anniversarium patris et matris prefati Hugonis hic debet fieri, quod contigit octavo idus aprilis. 8 nov.

Item, eodem die, de domo Sancte Marie, obiit magister Aubertus de Braio, concanonicus noster; pro cujus anima, recepit capitulum quadraginta libras Parisiensium, quas posuit in emptione granchie de Roseto, que fuit domicelle Flore.

Item, ipso die, obiit Nicholaus Arodis, civis Parisiensis; cujus executores solverunt nobis tantummodo quadraginta novem libras octo solidos et dimidium de centum libris Parisiensium quas nobis legaverat, ad emendum redditus in terra ecclesie Parisiensis, ad opus anniversarii sui et patris sui. Capitulum vero assignavit et concessit quadraginta quinque solidos Parisiensium, annuatim percipiendos super pensionibus domorum claustri.

Anno Domini millesimo ccc° octogesimo octavo, die VIII mensis novembris, obiit recolende memorie reverendissimus pater dominus Petrus de Monte Acuto[1], cardinalis Laudunensis vulgariter noncupatus; pro cujus anniversario habuimus cc° francos auri. 8 nov 1388.

[1] Petrus Ayeelin de Monte Acuto, cardinalis tituli S. Marci et episcopus Laudunensis.

CCCXVII.

10 nov. circa 1250. IIII id. novembris. De domo Sancte Marie, obiit magister Radulphus de Karitate; qui dedit nobis viginti octo solidos Parisiensium incrementi census, quos habebat de conquestu suo in quadam domo, sita super caleciam, in Magno Vico, versus domum Filiarum Dei, in censiva domini Parisiensis episcopi.... Iterum, idem Radulphus dedit nobis quinquaginta solidos Parisiensium incrementi census, quos habebat de conquestu suo in quadam domo, sita Parisius, in vico Sancti Petri ad Boves, que fuit Johannis Britonis, in censiva Sancti Eligii Parisiensis.... Iterum, dedit nobis idem Radulphus septem solidos incrementi census, quos habebat in tribus cameris sitis in censiva Beate Marie, in territorio quod dicitur Tyrum.

Circa 1110. De domo Sancte Marie, obiit Wlgrinus archidiaconus; qui dedit nobis unam cappam pallii et pallium et domum in claustro, ad stationem quatuor ferculorum, in qua pares nobiscum sunt canonici Sancti Dyonisii de Passu. Et, ad illam faciendam, dedit nobis quindecim marchas argenti et dimidiam, et voluit ut omnes clerici de statione illa medietatem partis unius canonici haberent.

CCCXVIII.

11 nov. circa 1220. III id. novembris. Eodem die, obiit Robertus, precentor ecclesie nostre; cui concessimus sexaginta solidos Parisiensium, annuatim persolvendos in festo sancti Martini post festum Omnium Sanctorum, de quadam terra quam acquisivimus de domino Gauchero de Chastellon, apud Moriacum et Mintriacum. Preterea dictus cantor dedit sexaginta libras Parisiensium, ad emendos redditus sexaginta solidorum, in eodem festo annuatim persolvendorum.

CCCXIX.

12 nov. 1288. II id. novembris. Anno Domini m° cc° octogesimo octavo, in erastino festi beati Martini hyemalis, obiit bone memorie dominus Ranulphus[1], quondam Parisiensis episcopus. Qui dedit ecclesie nostre et nobis unum

[1] Ranulphus de Hombloneria.

calicem aureum cum patena et cocleari, ponderis trium marcharum et quinque stellingorum. Item, dedit nobis quindecim libras et sex solidos Parisiensium; quam pecunie summam, una cum quibusdam denariis, quos habebamus de bonis testamenti domini Gervasii de Clino Campo, implicavimus et convertimus in duas buretas aureas, ad ministrandum vinum et aquam in missa. Item, dedit nobis, ad opus anniversarii sui faciendi in nostra ecclesia, quolibet anno, duodecim libras Parisiensium annui redditus, quas de voluntate nostra emit apud Spedonam, in dominio nostro, a Nicholao dicto Grimont, presbitero. Hoc acto inter nos et ipsum dominum episcopum, quod nos viginti libras Parisiensium annui redditus, quas acquisiveramus in dominio suo, apud Balneolos, in recompensationem admortizationis dictarum duodecim librarum, in manu mortua imperpetuum teneremus. Item, dedit nobis trecentas libras Parisiensium, ad emendum redditus, pro festo conceptionis beate Marie virginis celebrando, quolibet anno, in ecclesia nostra; quas implicavimus et posuimus in emptionem quindecim librarum annui redditus, quas emimus a domina de Caprosia, super prepositturam suam de Caprosia predicta, ad opus festi conceptionis predicte. Item, dedit nobis centum solidos annui redditus, quos emit a domina de Caprosia, percipiendos quolibet anno super prepositturam dicte ville, ad augmentationem anniversarii domini Stephani, quondam Parisiensis episcopi, immediati predecessoris sui. Item, dedit sive legavit in testamento suo viginti libras Parisiensium, ad emendum redditus pro clericis matutinalibus. Item, legavit viginti libras Parisiensium, ad emendum redditus, pro parvis pueris de choro. Adquisivit autem idem dominus episcopus episcopatui Parisiensi et episcopis Parisiensibus successoribus suis ea quę sequntur. Apud Gentilliacum emit a Gaufrido de Jaigniaco, armigero, omnia que habet ibidem episcopus Parisiensis in pratis, vineis, terris, censibus, droituris, furno, pressorio et aliis quibuscumque; fecit eciam fieri de bonis suis omnia edificia que sunt in manerio dicti loci, et clausuram murorum quernellatorum, et pressorium quod habet episcopus in dicta villa. Apud Villam Cereris, emit masuram et jardinum que fuerunt quondam domini Petri de Igniaco, presbiteri, juxta jardinum episcopi; et ibidem in dicto jardino fecit domum, que est ibidem, refici, que erat undique ruinosa; que

omnia adjunxit jardino episcopali. Fecit eciam ibidem fieri clausuram manerii de muris quernellatis. Item, emit tria sextaria bladi, que percipiebat Reginaldus dictus Blondel super granchiam episcopalem dicti loci. Apud Moissiacum, emit tres masuras, retro domum conciergii, et quandam portionem terre, ex alia parte manerii, versus posticium per quod itur ad campos; que omnia adjunxit manerio episcopali dicti loci. Fecit fieri domum novam, juxta portam dicti manerii, et clausuram tocius dicti manerii de novis muris. Item, emit a Johanne de Gallandia, domino de Turnomio, apud Combisvillam et Grisiacum, viginti octo libras Parisiensium annui redditus. Item, emit a domina de Caprosia, super prepositurain dicte ville de Caprosia, decem libras Parisiensium annui redditus. Apud Sanctum Clodoaldum, emit vineas et redditus a domina de Viriaco. Item, procuravit a rege admortizationem terre que fuit quondam domini Reginaldi de Bievra, militis, quam habet episcopus ibidem. Item, ibidem emit duas masuras a Guillelmo dicto Postel et Clemente de Valle Graignon; in quibus, de bonis suis, fecit edificari cameram novam episcopalem cum gardaroba et appendiciis. Item, in manerio dicti loci fecit fieri quoddam pressorium novum. Item, legavit quingentas libras Parisiensium, ad edificandum cameram episcopalem juxta aulam, in manerio Parisiensi. Consideratis autem hiis bonis et aliis que idem dominus episcopus nostre ecclesie et episcopatui Parisiensi fecerat, concessimus et voluimus quod anniversarium ipsius, quolibet anno, in nostra ecclesia fiat. De quo quidem anniversario sepedictus dominus episcopus sic ordinavit, *etc.*[1]

CCCXX.

13 nov. Id. novembris. Nos decanus et capitulum ecclesie Parisiensis, notum
3 jul. 1480 facimus omnibus et singulis, quod anno Domini millesimo cccc° octuagesimo, die tercia mensis julii, venerabilis et discretus vir magister Johannes le Picart, decretorum doctor, prepositus de Octo, in ecclesia Beatissimi Martini Turonensis, fraterque et concanonicus noster, nobis insinuavit, sue occasione devocionis, ut in ecclesia nostra fiat statio post vesperas, in navi ejusdem ecclesie nostre, singulis diebus, a primis

[1] Edit. in *Gall. Christ.*, t. II, col. 117, et in *Hist. Eccles. Paris.*, p. 512.

vesperis festi beati Martini hyemalis usque ad ultimas vesperas octabarum ejusdem festi inclusive.... Obtulit et tradidit nobis manualiter ducentos scutos auri, ad emendos redditus, per officiarium horarum dicte ecclesie nostre recipiendos....

Item, anno Domini M° CCCC° octuagesimo secundo, die vicesima mensis septembris, prefatus magister Johannes Picart dedit ecclesie unam capam de panno aureo cramoisy, munitam d'orfraiz à ymaiges d'or de Chipre. Et, attentis dictis stacionibus et capa, ordinatum fuit per capitulum quod in festo sancti Martini hyemalis ludatur de organis, sumptibus fabrice. 20 sept. 1482.

CCCXXI.

XVIII KAL. DECEMBRIS. Ipso die, obiit Guillermus de Bituris, canonicus Sancti Dyonisii de Passu; qui dedit nobis quinquaginta libras Parisiensium, ad emendos redditus, in anniversario suo distribuendos. 14 nov. circa 1280

CCCXXII.

XVII KAL. DECEMBRIS. Eodem die, obiit Henricus[1], Remensis archiepiscopus; qui dedit nobis novem arpennos vinearum, apud Grisniacum juxta Orliacum, ad luminare duodecim lampadarum, singulis noctibus in perpetuum. Cujus anniversarium fieri concessimus. 15 nov. 1175.

De domo Sancte Marie, obiit Odo Clemens, sacerdos et archidiaconus ecclesie nostre, et decanus Beati Martini Turonensis. Qui, inter alia subsidia que huic ecclesie intulit, preposituram nostram Theoville diu ac fideliter amministravit, terram et homines ejusdem loci potenter et laudabiliter custodivit, et domos prepositure quasi de novo reedificavit. Redditus quoque quos apud Braiam habemus diu et bene amministravit et multipliciter ampliavit. Domos quas habuit in claustro nostro, que fuerunt Mauricii, quondam archidiaconi nostri, valde melioravit, et cum magnis sumptibus reedificavit. Preterea idem Odo casulam quandam de samicio rubeo, auro contextam, nobis donavit. Magister autem Albericus, concanonicus noster, nepos et alumpnus ipsius, de suo proprio stabilivit ut in anniversario predicti Odonis, quod ad ejusdem

[1] Henricus, regis Ludovici VI filius, die novembris 13 et non 15 defunctus. Vide *Gall. Christ.*, t. IX, col. 94, et *Hist. Eccles. Paris.*, t. II, p. 120.

Alberici preces fieri concessimus, distribuantur, *etc*.... Preterea idem prefatus magister Albericus dedit ecclesie Beati Dyonisii de Passu, in qua corpus defuncti Odonis sepultum requiescit, quinque solidos annuatim percipiendos.

CCCXXIII.

17 nov. XV KAL. DECEMBRIS. De domo Sancte Marie, obiit Adam, subdiaconus, Cornil; qui dedit unam stationem, ad domum Haymonis quam possedit, quatuor ferculorum.

De domo Sancte Marie, obiit Galterus levita.

Circa 1195. Eodem die, obierunt Engebertus pater et Engeburgis, mater domini Nicholai, concanonici nostri et sacerdotis; quorum anniversarium, ad petitionem ipsius Nicholai, capitulum fieri concessit. Idem vero Nicholaus, pro anima sua et parentum suorum predictorum animabus, ex voluntate et consensu capituli, quemdam capellanum instituit in ecclesia nostra, qui in eadem assidue desserviret, et cum beneficio suo beneficium denariorum matutinalium clericorum perpetuo obtineret.... Ad sustentationem itaque predicti capellani, idem Nicholaus dedit viginti libras Parisiensium, ad emendos redditus. Dedit etiam quamdam domum, sitam juxta aulam domini regis, ante Sanctum Bartholomeum, domui Fulconis cordubanarii contiguam et conjunctam.... Dedit insuper prefatus Nicholaus eidem capellano missale, calicem argenteum, casulam, albas et quamplurima alia ornamenta, ad decus et ornamentum altaris capellani.

CCCXXIV.

18 nov. XIIII KAL. DECEMBRIS. De domo Sancte Marie, obiit Manasses acolitus.

Circa 1165. Eodem die, obiit Clemens, decanus et sacerdos; qui dedit nobis viginti libras Parisiensis monete, ad stationem quatuor ferculorum[1].

Eodem die, reddenda est statio de Andrisiaco, de majoria Andrisiaci retenta a nobis, et de possessionibus et redditibus quos emimus a majore et uxore ejus et filiis eorumdem.

CCCXXV.

20 nov XII KAL. DECEMBRIS. De domo Sancte Marie, obiit Theodericus sa-

[1] Edit. in *Gall. Christ.*, t. II, col. 196.

cerdos; qui dedit nobis domum in claustro, ad stationem quatuor ferculorum, et decem libras quas possessor domus in morte sua est redditurus.

Eodem die, obiit dominus Guido de Condeto, canonicus Parisiensis; qui dedit nobis, pro anniversario suo, xxiiii libras Parisiensium, cum habuimus pecuniam provenientem de vendicioue domus sue claustralis. Pro quibus ordinavimus ejus anniversarium fieri. Circa 1315.

CCCXXVI.

XI KAL. DECEMBRIS. Eodem die, obiit Adam de Monfermel, miles, et Matildis, uxor ejus; quorum anniversarium capitulum fieri concessit, ad petitionem Radulphi, filii eorum, concanonici nostri. Idem enim Radulphus, pro animabus predictorum et benefactorum suorum et sua, dedit nobis triginta libras Parisiensium, ad emendos redditus.... Preterea dictus Radulphus, pro remedio anime sue et parentum et benefactorum suorum, ad ampliandum ecclesie nostre servicium, ex voluntate et consensu capituli, quemdam capellanum perpetuum in ecclesia nostra instituit, qui in eadem ecclesia assidue deserviret, et more aliorum capellanorum capitulo obediens esset.... Predictus autem Radulphus, ad sustentationem memorati capellani, dedit centum quinquaginta libras Parisiensium, de quibus redditus emerentur.... Dedit quoque idem Radulphus, ad ornatum altaris, missale in tribus voluminibus. 21 nov.

CCCXXVII.

Presentatio beate Marie.

Hac die, xxi hujus mensis novembris, fit festum solenne in hac ecclesia Parisiensi presentationis beate et intemerate virginis Marie in templo, fundatum per venerabilem et scientificum virum magistrum Guillermum Grelier, de Aurelianis oriundum, in jure canonico licenciatum, prepositum Normanie in ecclesia Carnotensi ac hujus ecclesie canonicum. Qui nobis, pro dicta solennitate, *etc*.... Primo, realiter et de facto tradidit et donavit ducentum scuta auri. Deinde, per suum testamentum, in augmentatione dicte fundationis, nobis legavit quedam vasa argentea, ponderis septemdecim marcarum argenti vel circa; 21 nov.

quandam Bibliam in parvo volumine, et unum breviarium ad usum ecclesie Carnotensis; nec non suas domos in quibus habitabat, sitas ante ecclesiam Sancti Petri ad Boves, videlicet unam in pleno dominio, et alteram ad tempus quadraginta annorum, prout habebat a domo Dei.

Obiit dictus Greslier[1] 1474.

CCCXXVIII.

22 nov. 1000. X KAL. DECEMBRIS. De domo Sancte Marie, obiit Himbertus episcopus[2].

Eodem die, debet fieri unum de anniversariis Raymondi de Claro Monte, canonici Parisiensis[3]; in quo distribuentur centum solidi Parisiensium, prout in ejus principali anniversario, quod fit x kalendas octobris, plenius continetur.

1271. Sciendum quod magister Milo de Corbolio, canonicus Parisiensis, instituit quandam missam de beata Virgine in Parisiensi ecclesia celebrari, singulis annis, die sabbati ante adventum Domini.... Et, ad opus ipsius misse, idem Milo decano et capitulo Parisiensi, pro remedio anime sue, dedit sexaginta solidos Parisiensium annui redditus, venditos a Johanne dicto Maupin et Johanna, ejus uxore, Petro dicto Chartrais et Maria, ejus uxore,... ac percipiendos super novem arpentis et uno quarterio terre arabilis, et tribus arpentis vinee, uno quarterio minus, sitis in territorio de Layaco, in censiva et dominio dictorum decani et capituli, et super qualibet pecia dictarum terrarum et vincarum in solidum[4].

CCCXXIX.

23 nov. IX KAL. DECEMBRIS. De domo Sancte Marie, obiit Nanterus diaconus.

1223. Ipso die, de domo Sancte Marie, obiit Guillermus[5] episcopus; cujus anniversarium fieri concessimus. Qui dedit nobis pallium unum, casulam unam violaceam, dalmaticam ejusdem coloris et tunicam, albam etiam paratam, cum stola et manipulo, et pannum sericum, ad facien-

[1] Hæc notula manu recentiori exarata est.

[2] Vid. *Gall. Christ.*, t. VII, col. 49; et *Hist. Eccles. Paris.*, t. I, p. 677.

[3] Raimundus defunctus est circa annum 1260.

[4] De hac donatione vide chartam relatam superius, t. II, p. 64, n° XLII.

[5] Guillelmus II de Seignelai.

dum cappam, unde fuit facta cappa de suo proprio. Dedit etiam octoginta libras Parisiensium; de quibus sexaginta libre posite fuerunt in retractione domus site in paraviso, ad portam claustri, juxta ecclesiam Sancti Johannis Rotundi; que fuit Herloini, quondam concanonici nostri, quam tenet Johannes Suggerii et Petrus de Challoel, qui, quamdiu vixerint, dictam domum possidebunt.... Post mortem vero predictorum Johannis et Petri, omnes proventus ejusdem domus in prefato anniversario canonicis et majori altari servientibus distribuentur.... Concessit autem capitulum memoratum anniversarium ipso die quo legetur singulare celebrari, etiam si aliud anniversarium eodem die acciderit.

CCCXXX.

VIII KAL. DECEMBRIS. De domo Sancte Marie, obiit Ivo sacerdos. 24 nov.

Eodem die, obiit Maria; pro cujus anima et sua, Atbo, filius ejus, canonicus ecclesie Beati Dyonisii de Passu, dedit nobis sexaginta libras Parisiensis monete, ad emendos redditus.... Denarios autem, ad hoc faciendum accipiendos, assiguavimus in censu de bosco quem apud Spedonam habemus.

CCCXXXI.

VII KAL. DECEMBRIS. De domo Sancte Marie, obiit Balduinus subdiaconus; qui dedit nobis duos arpennos vinee apud Moncivri, et dimidium apud Ivri, et duos arpennos, uno quarterio minus, apud Castanetum, et quatuor arpennos, quarterio minus, terre arabilis apud eamdem villam, et decem libras Parisiensium, ad stationem quatuor ferculorum. 25 nov.

Obiit magister Johannes dictus Niger, canonicus et capellanus ecclesie Parisiensis; qui dedit nobis circiter viginti marchas argenti, ad reparandam tecam beati Marcelli. Dedit eciam ecclesie Parisiensi omnes libros suos, tam in asseribus quam in corio ligatos. Preterea dedit nobis casulam, tunicam, dalmaticam de panno serico albo, et albam paratam cum amictu, et stolam cum manipulo et corporale.

CCCXXXII.

VI KAL. DECEMBRIS. Obiit Michael[1], archiepiscopus Senonensis. Cujus 26 nov. 1199.

[1] Michael de Corbolio.

anniversarium fieri instituit Adam, decanus Laudunensis, nepos ipsius, concanonicus noster; qui dedit nobis trecentas libras Parisiensium, ad emendos redditus[1]. Pro quibus assignavimus viginti libras reddendas de nostro singulis annis, videlicet decem libras distribuendas in anniversario dicti Ade et parentum suorum, sicut in eodem anniversario plenius continetur, et alias decem libras in anniversario predicti archiepiscopi Michaelis.... Debet autem die qua legitur celebrari.

CCCXXXIII.

27 nov. circa 1150. V KAL. DECEMBRIS. De domo Sancte Marie, obiit Petrus de Monciaco; qui dedit nobis, apud Ivri, sex arpennos vinearum et terram arabilem, ad stationem quatuor ferculorum.

Eodem die, obiit Martinus Furnarius; qui dedit nobis viginti libras, ad stationem quatuor ferculorum.

Circa 1240 Eodem die, de domo Sancte Marie, obiit Stephanus archidiaconus; qui dedit nobis domum quamdam, sitam retro claustrum nostrum, que fuit Rotrodi, et triginta quinque solidos de incremento census, in censiva Beate Marie, quam tenet thesaurarius Pontisarensis, prope Termas, super domum quam tenet[2].... scriptor, pro dictis triginta quinque solidis, et sexaginta solidos in domo quam tenet Rogerus Plastrarius, in eadem censiva.

CCCXXXIV.

28 nov 1252. IIII KAL. DECEMBRIS. Eodem die, obiit inclite recordationis Blanca[3], Francorum regina, mater Ludovici, Francorum regis; cujus anniversarium capitulum Parisiense concessit fieri in ecclesia Parisiensi.... Idem vero rex, ob remedium anime matris ipsius predicte, concessit ecclesie Parisiensi in manu mortua redditus et terram quos emit capitulum apud Herbleium, ad opus horarum, a Guillermo et Philippo, liberis defuncti Petri de Valle Grignosa, militis, et Alidi, matre eorum.

CCCXXXV.

29 nov 1218. III KAL. DECEMBRIS. Eodem die, obiit Philippus, primogenitus Ludovici, illustris regis, et Blanche, illustris regine Francorum. Pro cujus

[1] Edit. in *Gall. Christ.* t. XII, col. 56.

[2] Hic deest verbum unum in codice nostro.

[3] Blancha de Castella, Ludovici VIII uxor, defuncta 1 dec. 1252

anima, dicta regina unam capellaniam instituit in ecclesia Beate Marie Parisiensis, ad altare beati Johannis Baptiste et sancti Thome, archiepiscopi Cantuariensis, martiris[1]. Voluit etiam ut singulis annis, in vigilia sancti Andree, celebraretur dicti Philippi anniversarium in ecclesia Parisiensi. Et hoc concessit ei capitulum liberaliter et devote. Tandem, ad preces ipsius regine, dictus rex Ludovicus dedit in puram et perpetuam elemosinam centum solidos Parisiensium in redditibus distribuendos.... Preterea, ad sustentationem capellani, qui in dicto altari, singulis diebus, quando poterit, pro anima dicti Philippi nec non et pro animabus dictorum regis et regine et pro cunctis fidelibus celebrabit, dedit similiter in puram et perpetuam elemosinam quindecim libras Parisiensium; ita quod tam dicti centum solidi quam dicte quindecim libre singulis annis persolventur a preposito Parisiensi, qui pro tempore fuerit, secundum formam privilegii inde confecti, regio karactere consignati.

Eodem die, obiit Manuel de Placentia, concanonicus noster, sacerdos; qui dedit nobis x libras admortizatas apud Villam Ruscam. Circa 1350.

CCCXXXVI.

II kal. decembris. De domo Sancte Marie, obiit Girardus levita; qui dedit nobis domum in claustro, ad stationem quatuor ferculorum, et tredecim arpennos vinearum et dimidium. 30 nov.

Eodem die, de domo Sancte Marie, obiit Helyas de Caturco, concanonicus noster; qui dedit nobis centum libras Parisiensium. De quibus centum libris nec non et de quinquaginta libris, pro anniversario Auberti, domini pape notarii, canonici Parisiensis, emit capitulum ab exsecutoribus magistri Milonis de Corbolio, quondam canonici Parisiensis, octo libras Parisiensium annui augmentati census super quibusdam domibus, sitis Parisius, tam in vico Sancti Mederici quam in vico de Marivas, in censiva canonicorum Sancti Mederici. Pro quarum amortizatione habuerunt dicti canonici xxxII libras Parisiensium. Circa 1275

CCCXXXVII.

Kal. decembris. De domo Sancte Marie, obiit magister Bernardus, 1 dec. circa 1160.

[1] De hac institutione, vide superius, t. II, p. 403; et *Hist. Eccles. Paris.*, t. II, p. 309.

sacerdos et archidiaconus; qui dedit nobis, ad domum Petri Burgundionis, viginti libras Parisiensis monete, ad stationem quatuor ferculorum.

CCCXXXVIII.

2 dec. IIII non. decembris. De domo Sancte Marie, obiit Droco subdiaconus.

Eodem die, obiit Stephanus, precentor Sancte Genovefe.

Circ. 1250. Eodem die, obiit Guillermus Barbete, civis Parisiensis; qui dedit nobis quadraginta libras Parisiensium, ad opus anniversarii sui et Marie, uxoris sue. Quam summam posuimus in emptionem molendini de Ruppe, siti subtus Vernotum. Nos vero concessimus eidem Marie, quamdiu vixerit, duos modios bladi, percipiendos annuatim in granariis nostris.

CCCXXXIX.

3 dec. III non. decembris. Obiit magister Girardus de Breva, canonicus Silvanectensis. Qui dedit nobis quinquaginta solidos Parisiensium annui census, sitos Parisius, in censiva Sancti Benedicti Parisiensis, videlicet viginti solidos sitos in vico Eremburgis de Bria, ultra Parvum Pontem, super domum que fuit Godefredi Lathomi, contiguam domui Gaufridi de Porta Unita, immediate post viginti solidos in quibus dicta domus est honerata; quam domum tenet modo Clemens Illuminator; item, viginti solidos, sitos super domum Nicholai Lathomi, in vico Sancti Hylarii, et decem solidos percipiendos super domum que dicitur au Quernians, in eodem vico, ab oppositis domus predicte, quam tenet modo magister Symon de Chois, clericus, percipiendos quatuor terminis Parisius consuetis, immediate post triginta solidos annui census.

Circa 1295. Eodem die, obiit Petrus de Albigniaco, sacerdos, canonicus Sancti Johannis Rotondi; qui legavit ecclesie Parisiensi triginta solidos Parisiensium annui census, sitos apud Yvriacum, videlicet super unam anceingiam tam terre quam vinee, subtus grangiam Sancti Maglorii, et super dimidium quarterium situm in Noiis, et super medietatem quarterii et dimidii salceye site ad Pratum Juratum. Que omnia tenet Thomas Anglicus et heredes sui ad censum predictum.... Et, cum hoc, obligavit idem Thomas in contraplegium totam masuram suam de

Yvriaco cum pertinenciis.... Legavit insuper idem Petrus unum arpentum vinee, situm apud Balneolum, in censiva de Moncello, ad decem denarios census, in festo sancti Remigii reddendos capitulo Parisiensi.

CCCXL.

II NON. DECEMBRIS. Missa de beata Maria virgine, fundata per magistrum Philippum Aymenon, de Ennannio in Combralia, Lemovicensis dyocesis, oriundum, serenissimique principis regis Karoli VI[u] quondam elemosinarium hujusque venerabilis ecclesie canonicum, in ipsius Philippi parentumque ac dicti principis et omnium aliorum benefactorum suorum remissionem peccatorum; que, post ejus decessum, convertetur in obitum solennem, die obitus sui seu proximiori die quo commodius poterit fieri perpetuo celebrandum.... Pro cujus misse et obitus, seu anniversarii fundatione, prefatus Philippus dedit nobis et ecclesie Parisiensi ccc libras Turonensium, in reparationem et meliorationem domorum, possessionum et aliorum redditnum, ad officium anniversariorum spectancium dumtaxat et non alibi convertendas. 4 dec.

CCCXLI.

NON. DECEMBRIS. Eodem die, obiit Petrus de Anisiaco, Parisiensis canonicus et sacerdos, thesaurarius quondam et electus confirmatus Senonensis[1]; qui dedit nobis terras et partem domus de Bello Reditu, quas emit et acquisivit, sitas juxta granchiam nostram de Essartis, in territorio de Vernoto. Item, ejusdem executores dederunt et concesserunt nobis quamdam domum, sitam in villa de Tavers, quam acquisierat dum vivebat. Pro quibus tenemur distribuere annuatim in die anniversarii sui decem libras Parisiensium[2]. 5 dec. 1274.

CCCXLII.

VIII ID. DECEMBRIS. De domo Sancte Marie, obiit Theobaldus levita. Cujus vineas et tria quarteria terre habemus apud Balneolum, ad stationem quatuor ferculorum, in die obitus sui reddendam; preterea domum in monte sitam prope Termas, et vineas apud Sanctum Mar- 6 dec.

[1] Petrus V.

[2] Edit. in *Gall. Christ.*, t. XII, col. 67.

cellum, cum quatuor arpennis terre et uno quarterio, apud Joisiacum[1] site, ad alteram stationem in festo beati Marcelli, proximo post sollempnitatem Omnium Sanctorum, singulis annis reddendam.

Eodem die, obiit Johannes de Chilerria, quondam canonicus Sancti Dyonisii de Passu; qui dedit nobis viginti quatuor libras Parisiensium pro anniversario suo faciendo.

CCCXLIII.

7 dec. VII ID. DECEMBRIS. De domo Sancte Marie, obiit Manasses.

Circa 1188. Eodem die, Stephanus[2], Silvanectensis decanus, concanonicus noster, pro remedio anime sue, donavit ecclesie nostre terciam partem avene de aveio que est apud Viri; tali conditione, quod festum beati Nicholai duplex celebrabitur. Et, eodem die, sine dilatione, persolvetur statio canonicis; de qua canonici Beati Dyonisii de Passu participes erunt nobiscum.

CCCXLIV.

8 dec. circa 1310. VI ID. DECEMBRIS. De domo Sancte Marie, obiit dominus Henricus de Suciaco, quondam vicarius perpetuus Sancti Petri de Fossatis, in ecclesia Parisiensi. Qui dedit nobis, ad opus anniversarii sui, sexaginta tres libras Parisiensium, convertendas in emptione centum librarum Parisiensium, quas capitulum emit super prepositura de Corbolio.... Super his autem habeut executores litteram.... et de dictis denariis receptis ab eodem capitulo et habitis, quarum litterarum tenor talis est:

26 febr. 1304. « Universis.... Johannes[3] decanus totumque capitulum Parisiensis ecclesie, salutem in Domino. Notum facimus quod nos habuimus et recepimus a domino Henrico de Suciaco.... sexaginta et tres libras Parisiensium in pecunia numerata, per nos jam conversas in emptione centum librarum Parisiensium annui redditus, quas emimus nuper super prepositura Corbolii a nobili viro domino Johanne de Guistella, milite, et Margareta, ejus uxore, pro precio duarum millarum[4] et centum librarum Parisiensium. Pro quibus sexaginta et tribus libris predictis et in earum recompensationem, volumus et concedimus dicto

[1] Fort. legendum, : *Soisiacum*.
[2] Stephanus II de Silvanectis.
[3] Johannes III.
[4] Sic.

domino Henrico, quod ipse, quamdiu vixerit, habeat et percipiat de bursa nostra,.... singulis annis, sexaginta solidos Parisiensium.... Et, post ejus decessum, capientur in bursa nostra anno quolibet sexaginta solidi Parisiensium; de quibus annuatim anniversarium predicti domini Henrici celebrabimus.... Datum anno Domini millesimo tricentesimo tercio, die mercurii post Cathedram Sancti Petri.»

In crastino concepcionis beate Marie[1], fit missa de eadem concepcione, pro magistro Erardo Bosserant, canonico Parisiensi.... Pro quo dedit nobis decem libras cum duodecim solidis Parisiensium perpetui redditus, percipiendas videlicet, sex libras et octo solidos Parisiensium super domo Taqueti Cristail, sita in vico Porte Bordellarum, et super domo Guilloti Michon, in eodem vico sita, quatuor libras quatuor solidos Parisiensium.

CCCXLV.

V ID. DECEMBRIS. De domo Sancte Marie, obiit vir venerabilis magister Odardus Berthine dictus de Molins; qui dedit nobis sexdecim libras Parisiensium admortizatas, supra quamdam domum, sitam in Civitate, in vico Judearie, pro anniversario suo quolibet anno faciendo sollempniter. Et capicerius dicte ecclesie tenetur in septem cereis, pro luminari anniversarii, et pro quatuor missis celebrandis in capella ad altare Sancti Laurencii, quam dictus deffunctus fundavit in hac ecclesia, in duobus cereis, quilibet trium quarteronum, et torchia pro elevacione sacramenti. Et pro hoc habet percipere tringinta duos sollidos Parisienses, admortisatos per reverendum in Christo patrem Petrum de Orgeo Monte, episcopum Parisiensem, supra quamdam domum Thome de Alneto, pilearii, situatam Parisius, in magno vico Sancti Dionisii, in qua domo pandet intersinium vexilli Britannie; tenentem, ex una parte, domui que quondam fuit Baudeto Duberle, et, ex alia parte, domui Simonis Archerii; abotissantem, a parte posteriori, cuidam stabulo, spectanti Ymbeloto de Leonibus. 9 dec. circa 1400.

CCCXLVI.

III ID DECEMBRIS. Obiit Adam[2] de Chambli, episcopus Silvanitensis; 11 dec. 1258.

[1] 9 decembr.

[2] Adam I.

qui dedit nobis terras et vineas apud Castanetum, et dimidium arpentum vinee apud Spedonem, ad opus anniversarii sui.

CCCXLVII.

12 dec. II ID. DECEMBRIS. De domo Sancte Marie, obiit Ivo sacerdos et
Circa 120?. Isembardus subdiaconus.

Eodem die, ex statuto communis capituli nostri, celebrari debet anniversarium bone memorie Theobaldi[1], quondam comitis Trecensis, et predecessorum suorum, comitum Campanie. Pro quorum animabus, Blancha[2], illustris comitissa Trecensis, et Theobaldus[3], filius ejus, cum griariam in nemoribus Beate Marie de Roseto vendicarent, per compositionem factam inter ipsos et capitulum nostrum, omnia nemora supradicta extirpari et domos seu villas ibidem ad voluntatem et dispositionem capituli construi concesserunt, prout in eorum litteris plenius continetur. Nos autem, eorum devotioni volentes grata vicissitudine respondere, de proventibus nemorum predictorum seu novalium, singulis canonicis et majori altari deservientibus, *etc.*...

Obiit dominus Stephanus de Susiaco, presbiter cardinalis.

11 dec. 1311. Anno Domini millesimo trecentesimo undecimo, undecima luna decembris, de domo Sancte Marie, obiit bone memorie dominus Stephanus de Suciaco, quondam tituli Sancti Ciriaci in Termis presbiter cardinalis. Qui legavit nobis in testamento suo viginti libras annui redditus, percipiendas Parisius, super terram suam de Fontaneto, pro anniversario suo, quolibet anno, in ecclesia nostra faciendo, et nepotis sui domini Ade Halot, quondam concanonici nostri.... Item, legavit dictus testator in predicta ecclesia nostra septuaginta et quatuor libras annui et perpetui redditus, percipiendas super predictam terram, ad opus duarum capellarum, ubi sunt duo capellani ibidem deservientes, ob remedium anime ipsius, parentum, benefactorum suorum. Et tenebitur quilibet capellanus celebrare, per se vel per alium, sex missas in qualibet septimana, sicut continetur in ordinatione litterarum subscriptarum, de quibus litteris tenor talis est[4].

[1] Theobaldus III, Campaniæ comes, mortuus 24 maii 1201.

[2] Blancha de Navarra, vidua Theobaldi III.

[3] Theobaldus IV, cognomine Posthumus seu Magnus.

[4] Sequuntur in codice nostro tria instru

CCCXLVIII.

XIX KAL. JANUARII. De domo Sancte Marie, obiit Petrus[1] episcopus; qui dedit nobis quatuor modios bladi melioris hybernagii, quod episcopus Parisiensis percipiet de molendinis suis, tam novis, que de suo edificavit, quam veteribus, sitis apud Sanctum Clodoaldum, percipiendos annuatim ad mensuram Parisiensem, in purificatione beate Marie.... Concessit autem capitulum memoratum anniversarium singulis annis, eodem die quo legetur in capitulo, sine alterius mutatione et ad majus altare celebrari, canonicis in vigiliis et in missa chorum tenentibus. Preterea dedit idem episcopus capam rubeam brodatam et capam viridem et capam albam oculatam et unam albam sericam et aliam ad imagines, cum stola et manipulo ad imagines, et infulam et dalmaticam et tunicam, albas et succinctorium sericum. Dedit quoque duo tapeta parva et tres quarellos, ad usum presbiteri, diaconi et subdiaconi ad majorem missam serviencium. 14 dec. 1219.

CCCXLIX.

XIV KAL. JANUARII. De domo Sancte Marie, obiit Reginaldus de Viceors, sacerdos. Qui de suo emit partem decime de Sarcele; pro qua parte habemus tres modios tam bladi quam avene in granario nostro, pro anniversario suo. 19 dec.

CCCL.

XIII KAL. JANUARII. De domo Sancte Marie, obiit Barbedaurus, decanus et sacerdos; qui dedit nobis, ad stationem quatuor ferculorum, quinque arpennos vinearum uno quarterio minus, duos apud Moncivri, tres uno quarterio minus apud Ivri[2]. Et istas vineas concessimus Galtero, nepoti ejus, ad faciendam stationem die obitus illius, absque ulla dilatione; cujus nobiscum participes erunt canonici Beati Dyonisii de Passu. Instituimus etiam ut quicumque domum jam dicti decani, post Galterum, nepotem ejus, habuerit, predictas habeat vineas et 20 dec. circa 1182.

menta ad supradictas fundationes spectantia, quæ omisimus.

[1] Petrus II de Nemosio.

[2] Edit in *Gall. Christ.*, t. VII, col. 197; et in *Hist. Eccles. Paris.*, t. II, p. 144.

quatuor culcitras eidem domui a decano assignatas, et stationem, die obitus ejusdem decani, absque ulla dilatione, reddat. Dedit eciam nobis, ad aliam stationem, tres arpennos vinearum, apud Civilliacum et Laiacum, et quinque arpennos pratorum apud Laiacum, et tres solidos de censu apud Villegie; quam reddet Guillermus de Nuel, et redditurus est quicumque predicta, post eum, habebit. Donavit insuper nobis pallium decem unciis auri comparatum, et librum in quo leguntur Evangelia, et librum in quo leguntur Epistole, et deargentavit eos tribus marchis argenti; et fecit fieri vitream, quindecim libris comparatam. Edificavit etiam nobis, apud Civilliacum, granchiam et domum ad manendum, et virgultum; et emit nobis terras, ex quibus habemus singulis annis novem modios frumenti, in horrea nostra a cultoribus aportandos. Nos vero, pro his que apud Civilliacum et Laiacum emerat, centum libras ei contulimus. Addidit jam dictis donationibus sexaginta libras, ad emendos redditus; de quibus super addita est una prebenda in ecclesia Beati Dyonisii de Passu. Et sacerdos canonice institutus est, qui pro ejus anima ibidem deserviret. Donavit preterea predicte ecclesie missale in tribus voluminibus, quod ne inde amoveatur, nisi imminente periculo, sub anathemate est interdictum. Et dedit duas casulas et albam paratam et duo candelabra. Addidit eciam, ad ampliandum luminare Beati Dyonisii, tres quartarios vinearum apud Moncivri, et centum solidos Parisiensis monete.

De domo Sancte Marie, obiit Joscelinus levita.

Circa 1150 Eodem die, obiit Guillermus succentor.

Obiit eciam dominus Petrus miles; qui dedit nobis sexaginta libras Parisiensium, ad emendum redditus. Cujus anniversarium capitulum fieri concessit singulis annis.

CCCLI.

21 dec. 1302 XII KAL. JANUARII. Anno Domini M° trecentesimo secundo, XII kalendas januarii, obiit dominus Johannes, dominus de Haricuria, miles. Pro quo, nobis dedit dominus Radulphus de Haricuria, concanonicus noster ac frater et executor dicti militis, septem libras Parisiensium annui redditus, pro anniversario suo annis singulis faciendo in ecclesia nostra, ad majus altare, duobus canonicis chorum tenentibus in capis

de serico, in vigilia et in missa distribuendas.... Quas quidem VII^tem libras Parisiensium sibi assignavimus super molendinum nostrum de novo refectum, situm in archa Magni Pontis, pro sex viginti libris Parisiensium, a dicto domino Radulpho nobis solutis integraliter et conversis in necessariam refectionem ipsius molendini. Quod quidem molendinum in totum corruerat propter violentam inundationem aquarum et pontium Parisiensium ruptionem. Super dictum vero molendinum tenetur camera nostra predictas VII^tem libras percipere et eas solvere singulis annis, die anniversarii supradicti. Et sunt predicte VII^tem libre primus census dicti molendini.

CCCLII.

XI KAL. JANUARII. De domo Sancte Marie, obiit magister Hilduinus, diaconus et cancellarius. Qui dedit nobis triginta solidos de censu, apud Andrisiacum, et dimidium arpennum vinee, apud Cachant, ad stationem faciendam in crastino nativitatis Domini, sine dilatione reddendam; in qua voluit canonicos Beati Dyonisii de Passu nobiscum participes fieri. Ad quam stationem meliorandam, adjecit capitulum quinque arpennos terre et vinee uno quarterio minus, site apud Montem Civiriacum, qui fuerunt de precaria magistri Odonis de Campellis, et unum arpennum vinee apud orli. 22 dec. circa 1200.

Eodem die, de domo Sancte Marie, obiit Gregorius diaconus; qui dedit nobis, apud Balneolum, quinque quarteria vinearum, et tria arpenta terre arabilis, et tria quarteria prati, et, apud Laiacum, septem quarteria prati, et decem solidos incrementi census super dimidium arpentum vinee, quod tenet possessor domus que fuit dicti Gregorii, situm apud Ivri. De quorum proventibus debent reddi septem libre Parisiensium, preter decem solidos supradictos, a possessore eorum.

CCCLIII.

X KAL. JANUARII. De domo Sancte Marie, obiit magister Symon de Pissiaco. Qui oratorium Beati Dyonisii de Passu reparavit; et, ut ibidem in perpetuum Deo serviretur, triginta libras, ad redditum emendum, eidem loco donavit, et altari Beate Marie bacinos quinque mar- 23 dec. circa 1180.

charum et dimidie, de quibus excommunicatum est ne de altaris assiduitate removeaotur, oisi peste famis impellente[1].

De domo Sancte Marie, obiit Fulbertus subdiaconus; qui dedit nobis sex arpennos vinearum, apud Ivri, ad stationem quatuor ferculorum, de qua hospitale haberet sagimen cum visceribus.

Circa 1200. Eodem die, statio magistri Hilduioi, quam dedit nobis ad domum Guillermi de Stampis. Pepigit etiam nobis quod, eam ad faciendum, certos redditus assignaret; et nos ei concessimus anniversarium suum in die obitus ipsius.

Circa 1250 Eodem die, de domo Sancte Marie, obiit Philippus cancellarius. Qui dedit nobis quinquaginta libras Parisiensium, ad emendum redditus; cujus anniversarium capitulum fieri concessit singulis annis.

1502. De domo Sancte Marie, obiit reverendus in Christo pater et dominus dominus Johannes[2] Symonis, hujus insignis ecclesie pontifex; a quo habuimus summam quingentorum scutorum solis, ad emeodos redditus, pro fundatione sui obitus de XVI libris Parisiensibus[3].

CCCLIV.

24 dec. IX KAL. JANUARII. De domo Sancte Marie, obiit domions Gremerius de Vicecomitibus, canonicus Parisiensis; qui dedit nobis, pro anniversario suo annis singulis faciendo, tresdecim libras decem solidos Parisiensium annui redditus, de conquestu ipsius, in villa et in territorio de Cristolio.

Eodem die, obiit magister Johanoes de Monte Nantolio, sacerdos, canonicus Parisiensis; qui dedit nobis, pro anniversario suo, annis singulis, pro anima ipsius, in ecclesia Parisiensi, perpetuis temporibus celebrando, quadringenta scuta auri. Et postmodum executores dicti deffuncti, attendeotes clausulas sui testamenti, nobis dederunt in augmentationem dicti anniversarii, ut pro solempni obitu reputetur, summam ducentorum scutorum, ut reverendus quondam pater archiepiscopus Bisontini et magister Alardus de Villaribus, propter affectionem quam erga ipsos predictus magister Johaones habebat, in predicto anoiversario perpetuo associeotur.

[1] De hoc dono vid. chartam editam superius, t. II, p. 502.

[2] Johannes V.

[3] Edit. in *Gall. Christ.*, t. VII, p. 157.

Hac sacra nocte vigilie nativitatis Domini, Jacobus Divitis[1], decanus, fundavit unam harsam cereorum de viginti quinque libris cere recentis atque bone, ponendam et ardendam in choro ecclesie, supra tumbam cupream, quamdiu durabunt matutine et missa secunda; pro quo nobis dedit IIII^or libras Parisiensium amortizatas, percipiendas super officio stacionum peccunie, anno Domini M° CCC° octuagesimo quarto, in septembri. Pro quibus et aliis octo libris, de quibus fit mencio supra, in die Animarum, idem Jacobus tradidit nobis sexcentos francos auri boni ponderis, qui fuerunt conversi in sumptus factos tam pro obtinenda unione ecclesie parrochialis de Liricantu, quam pro exempcione ecclesie Parisiensis habenda, et in aliis utilitatibus ecclesie. Hujus autem harse cura et diligentia, scilicet in petendo dictas IIII^or libras ab officiario stacionum et in ascendendo eam et extingueudo eam, completa secunda missa, ex ordinacione capituli, spectat ad clericum fabrice, qui querit luminare lanternarum que sunt juxta capsam beate Marie. Et propterea residuum cere dicte harse spectat ad utilitatem sui officii. Sept. 1384.

CCCLV.

VII KAL. JANUARII. De domo Sancte Marie, obiit nobilis homo dominus Eustachius de Confluencio, canonicus Parisiensis; pro cujus anniversario, habemus quatuor libras tresdecim solidos Parisiensium annui redditus, super terram de Oe, versus Liricantu, emptas de peccunia habita ex venditione domus sue claustralis. 26 dec.

CCCLVI.

VI KAL. JANUARII. De domo Sancte Marie, obiit Macharius[2] presul. 27 dec. 1274.
Eodem die, obiit Gaufridus de Pontchevron, decanus Parisiensis et concorditer electus Bituricensis[3]. Qui dedit nobis, ad anniversarium suum faciendum, ista que secuntur, videlicet : viginti solidos Parisiensium, quos debet Aubertus Bougrin de Olliaco, super tria quarteria vinee site au Novelez; et obligavit quarterium et dimidium vinee de subtus clausum de Olliaco; item, quindecim solidos, quos debet Symon

[1] Jacobus Dives mortuus est anno 1385.
[2] De hoc Macario nihil reperimus.
[3] Edit. in *Gall. Christ.*, t. II, col. 206; et in *Hist. Eccles. Paris.*, t. II, p. 474.

Renart de Olliaco, super quarterium et dimidium vinee site au Novelez, et super quarterium vinee de subtus clausum de Olliaco; et obligavit quarterium et dimidium terre site ad viam Mercati; item, viginti solidos, quos debet Landricus Guernon de Olliaco, super arpentum vinee site ad Fossam; et obligavit tria quarteria terre, sita in valle de Rungiaco; item, viginti sex solidos, quos debet Petrus dictus Major de Olliaco, videlicet sexdecim solidos super duo arpenta et dimidium terre, sita in loco qui dicitur les Jardins, et dimidium situm est aus Préaus, apud Cristolium; et obligavit dimidium quarterium vinee situm in loco qui dicitur Taborel, et tria quarteria terre site ad Quarrerias de Cristolio, et unum quarterium terre situm super Longuenas de Christolio; item, decem solidos, quos debet Petrus Major predictus, super quarterium et dimidium vinee site au Novelz, apud Olliacum; et obligavit quarterium terre site ad Rivum; item, decem solidos et tres denarios pro censu quos debet Galterus, major de Christolio, super quarterium et dimidium vinee site ad crucem deversus molendinos de Christolio, in territorio de Taborel; et obligavit quarterium et dimidium vinee site en Gaubert. Predicta debent solvi in festo sancti Remigii; sequentia vero in biemali festo beati Martini. Item, decem solidos, quos debet Johannes de Atrio, de Christolio, super duas pecias terre site ad Longuenas; et obligavit arpentum terre site in loco qui dicitur Clausus; item, decem solidos, quos debet Nicholaus Renarz, super arpentum terre site in loco qui dicitur Valieres, et dimidium contiguum terre Hemerici Guerri et Ogeri dicti Coqnart; item, decem solidos, quos debet Nicholaus predictus, super arpentum terre situm à la Baste; et obligavit arpentum terre predictum et terciam partem masure sue, contigue, ex una parte, masure Morelli de Cruce, et masure Guillermi de Pareyo, ex altera; item, decem solidos, quos debet Johannes de Ruella, super dimidium arpentum vinee site ad Fossam, apud Olliacum; et obligavit dimidiam masuram suam, contiguam domui Landrici Guernon et Guillermi de Vineis; item, quadraginta solidos, quos debet Odo dictus de Cevilliaco, super tria quarteria terre site ad Pratellum, contigue terre Herberti de Dumo et terre Odeardis Cementarie; item, quarterium et dimidium terre site ad Murellum, contigue terre Guillermi Tiranni et terre Bordonis Tiranni; item, arpentum

terre site in Ruis, contiguum terre Martini Renart et terre Guillermi Gaudin; item, tria quarteria terre site à Lortière, contigue terre Agnetis la Veroude et terre Aveline la Chaperone; item, arpentum terre site ad cheminum, contigue terre Decani et terre Johannis Paysant; item, tria quarteria in loco qui dicitur les Estaviex, contigua terre Guillermi Guerri Juvenis, et terre Roberti Aaline; item, duo arpenta terre in valle de Rungiaco, videlicet dimidium arpentum contiguum terre Mathei de Vineis et terre Guillermi Guernon, et dimidium arpentum contiguum terre Galteri Olearii et terre Ogeri Chaperon, et dimidium arpentum contiguum terre Henrici Tricot et terre Bordonis Tirant, et dimidium arpentum contiguum terre Aveline Cementarie et terre Guillermi Fevrier; item, dimidium arpentum vinee site ad Pratellum, contigue terre Herberti de Dumo et vinee quam decanus de Olliaco tenet ad vitam a capitulo; item, viginti solidos solvendos in festo sancti Remigii, quos debet Odo de Cevilliaco predictus, super arpentum vinee site in loco qui dicitur la Friche as Asnes, contigue vinee presbiteri de Olliaco et Frichiis, et super quarterium vinee site in clauso Pantini, ad viam de Burgo Novo, contigue vinee Aveline la Maçone et vinee Arnulphi Berart; item, septem quarteria prati, sita apud Christolium. Voluit autem predictus Ganfridus quod de dictorum bonorum proventibus canonicis et majori altari servientibus.... duodecim denarii.... in die anniversarii sui distribuantur; matricnlariis laicis duo solidi tantum dentur; fratribus vero et pauperibus domus Dei quadraginta solidi Parisiensium, pro pitantia in die anniversarii sui facienda, tradantur ab illo qui dictos redditus, nomine capituli, recipiet.

CCCLVII.

IIII KAL. JANUARII. De domo Sancte Marie, obiit magister Petrus de Joigniaco; qui dedit ecclesie Beate Marie Parisiensi sex libras Parisiensium annui redditus, habendas et percipiendas singulis annis, quatuor terminis Parisius consuetis, super quandam domum, quam habebat de conquestu suo, Parisius sitam, contiguam, ex una parte, domui hospitalis, et, ex alia parte, domui presbiteri Sancti Benedicti et domui defuncti Roberti Harani, ex altera, in censiva et dominio canonicorum Sancti Benedicti Parisiensis. Qui canonici Sancti Benedicti receperunt 29 dec. circa 1296.

quinquaginta libras, pro amortizacione predictarum sex librarum ab executoribus dicti defuncti. Capitulum vero ejus anniversarium concessit fieri in ecclesia Parisiensi.... Item, legavit clericis matutinalibus quadraginta solidos annui redditus, quos percipiebat et habebat super domum presbiteri Sancti Hylarii Parisiensis.

29 nov. 1334. Anno Domini MCCCXXXIIII, die lune post festum beate Katherine virginis, vir venerabilis et discretus magister Johannes de Losanna, curatus ecclesie Sancti Christophori Parisiensis et capellanus in ecclesia Parisiensi, dedit, erogavit et contulit, intuitu pietatis, ad opus puerorum chori, quamdam Bibliam, scriptam in pargameno caprino, ligatam inter duas asseres, coopertam de corio rubeo; ita quod semper remaneat penes dictos pueros et magistrum eorumdem pro tempore, et quod cotidie legatur in eadem per dictos pueros seu aliquem eorumdem, prout magister ordinabit, absque eo quod possit vendi seu alienari quoquomodo. Prefati vero pueri, de auctoritate dominorum decani et capituli Parisiensis, piam devocionem ipsius magistri Johannis in hoc attendentes, et volentes, quantum possunt, eidem facere spiritualem compensacionem, ipsum receperunt ex nunc in precibus et bonis operibus eorumdem, et de cetero pro eo rogabunt Creatorem quod hoc sibi retribuere dignetur, et quod eidem concedat bonam vitam et beatum finem.

CCCLVIII.

30 dec. III KAL. JANUARII. Hic debet fieri missa solempnis de Sancto Spiritu, pro magistro Petro de Paciaco, decano Parisiensi. Qui dedit nobis XVI libras Parisiensium annui et perpetui redditus, quas percipiebat quolibet anno, IIII[or] terminis Parisius consuetis, super domibus, terris, vineis, pratis, que fuerunt magistri Reginaldi Joberti, sitis in territorio de Civilliaco et Layaco; quas tenet de presenti Johannes de Chemino; ac omnibus bonis, presentibus et futuris, dicti Johannis de Chemino, apud Layacum commorantis; et, post decessum dicti magistri Petri, in die obitus sui, unum anniversarium solempne, vel propinquiori die
24 mai. 1397. quo commode fieri poterit. Datum et actum anno Domini M° CCC[mo] nonagesimo septimo, die XXIIII mensis maii[1].

[1] Vide *Gall. Christ.*, t. II, col. 212.

CCCLIX.

II KAL. JANUARII. Eodem die, obiit Henricus archiepiscopus[1]; qui dedit nobis capam pallii et missalle. 31 dec.

CCCLX.

Pondus calicis quem emimus ab ecclesia Coloniensi est circiter decem et novem marchas. Pondus laminarum emptarum cum eo fuit circiter duas marchas. Numerus laminarum fuit viginti quatuor. Totum insimul ponderavit XXI marchas et unum stellingum. Precium fuit m^c et LX librarum Parisiensium.

Pondus magni calicis paschalis est XII marcharum et dimidium.

Pondus patene est III. marcharum et dimidium.

Aurum crucis, facte anno Domini M° duceutesimo undecimo, est XI marche XX estellingi et obolo minus. Aurum esmandorum est II marche quinque estellingis minus. Henricus aurifaber dixit quod lapides valent II[c] libras Parisiensium.

Pondus thuribuli aurei, quod dedit Mauricius episcopus, est IIII[or] marcharum uno fertone minus.

Pondus thuribuli aurei, quod dedit Nicholaus cantor, est IIII marcharum et XXVI estellingorum.

In textu facto anno Domini M° ducentesimo tricesimo secundo sunt sex marche et dimidia auri et pondus X estellingorum; item, argenti I marcha minus VII estellingis; in cujus deauracione fuit aurum ad pondus VI estellingorum. Lapides valent LX libras Parisiensium, ut dicit aurifaber.

CCCLXI

He sunt reliquie capse Sancte Marie.

Magna pars capitis sancti Dyonisii martiris; de geniculare sancti Dyonisii; de vestitu sancti Dyonisii; de cilicio sancti Dyonisii. De barba sancti Germani; de cilicio sancti Germani. De cilicio sancti Eligii. Cocleare sancte Genovefe. Reliquie sancti Amandi. De cereo sancte

[1] Nomen archiepiscopatus non liquet.

Genovefe. De sepulchro Domini. Reliquie sancti Martini, domni Aniani, sancti Aviti, sancti Brictionis, sancti Prisci, sancti Cotti, sancti Amatoris, sancti Auuaari, sancti Desiderii. Cilicium integrum sancti Dyonisii. Lapis unde lapidatus est protomartir Stephanus. Manica sancti Germani Autisiodorensis, quam sancte Genovefe misit; cilicium sancti Germani integrum et genicula ejus. Capilli et cineres cujusdam sancti. Balsamum sancti Marcelli. Reliquie sancti Eutropii et sancti Florenti. Vestitum sancti Germani episcopi.

In Christi nomine, noticia de vestimentis domni Germani, quod accepit Vinneradus diaconus in tesauro, anno XLII regnante domno Chlotario : hoc est, casula fuscana, casula renelena I, cagia fusca I, caligas albas IIII, sagia de haira I, calcias filtriuas paria I, calcias renelenas paria I, pallas IIII, antemanicies paria I, supercellio vellono I, capsella cum reliquiis de ipso domno Germano. Reliquie incoguite, quas nullus audet videre; unde quidam volens eas videre amisit lumen oculorum.

CCCLXII.

1 febr. 1449. Anno Domini millesimo quadringentesimo quadragesimo octavo, in vigilia purificationis beate Marie virginis, honorabilis vir magister Theobaldus de Vitriaco, concanonicus hujus ecclesie Parisiensis, domini nostri regis in sua parlamenti curia consiliarius et thesaurarius ecclesie Andegavensis, dedit nobis, ad decorem cathedrarum chori, quinque pecias tapetiorum, ad opus alti licii, in quibus continentur quindecim historie de beata virgine Maria. Prima pecia extenditur a stallo cantoris usque ad mediam partem sinistri lateris; cujus prima historia est annunciacio Dominica. Secunda pecia extenditur usque ad stallum cancellarii; in quo est historia presentationis Domini nostri Jhesu Christi in templo. Tercia pecia incipit a stallo decani et protenditur usque ad mediam partem dextri lateris; et est prima historia de adventu Sancti Spiritus super discipulos. Quarta protenditur usque ad cathedram domini episcopi exclusive; et est historia, quod Maria et Joseph invenerunt Dominum nostrum in templo, in medio doctorum sedentem. Quinta pecia est in fronte chori vestiens pulpitum altum in quo legitur euvangelium; et est historia coronationis sive assumptionis

beate Marie virginis. Et quia prefatus dominus concanonicus et frater noster, ob devocionem sinceram quam habet ad Virginem, nobis hoc donum eximium liberale contulit, concessimus, ad perpetuam sui memoriam, in presenti libro cum ceteris benefactoribus hujus ecclesie fore litteris annotandum, et in suffragiis hujus ecclesie se cum suis esse specialiter colligendum.

Item, anno Domini millesimo cccc quinquagesimo tercio, die prima mensis decembris, que fuit vigilia adventus Domini, dictus magister Theobaldus dedit nobis campanam que vocatur Thibault; quam voluit et vult pulsari diebus sabbatis, de sero, ad *Ave Maria*, nisi grossior debeat pulsari, ob festum occurrens. 1 dec. 1453.

Item, missa in ecclesia Parisiensi, pro venerabili et circumspecto viro magistro Theobaldo de Vittri, canonico Parisiensi, domini nostri regis in sua curia parlamenti consiliario, annuatim celebranda, de annunciatione gloriosissime virginis Marie, prima die convenienti et utili post annunciationem beate Marie virginis. Que missa, post ejus decessum, convertetur in obitum seu anniversarium solempne die obitus sui. Pro qua quidem missa seu anniversario, dedit nobis pro reparacione et restauratione duarum domorum sitarum in vico Sancte Marine, quarum una nuncupatur le Gantelet et alia le Molinet, videlicet summam ducentorum scutorum auri et centum et septem librarum octodecim solidorum et decem denariorum Parisiensium.

CCCLXIII.

Missa in ecclesia Parisiensi, pro venerabili et circumspecto viro magistro Stephano de Monte Diderii, canonico Parisiensi, archidiacono Balgenciaci in ecclesia Aurelianensi ac domini nostri regis in sua parlamenti curia consiliario et presidenti in camera inqnestarum, annuatim, de annunciacione Dominica ad beatam virginem Mariam, prima die convenienti et utili post festum dicte Annunciacionis celebranda. Que missa, post ejus decessum, convertetur in obitum seu anniversarium solenne, celebrandum die obitus sui vel alia die qua commodius post ejus obitum fieri poterit. Pro qua quidem missa et anniversario, dedit nobis quadraginta libras Parisiensium et quamdam domum cum pertinenciis admortizatam, et quam in certo admortizamento per do- Circa 1465.

minum nostrum regem, in mense septembri anni Domini millesimi quadringentesimi sexagesimi quinti nobis dato et concesso, comprehendi voluimus, sitam ante ecclesiam Sancti Jacobi de Carnificeria, in vico qui dicitur Scriptorum, in qua pendent pro intersigniis flos lilii et ymago sancti Nicholai, tenentem, ex una parte, domui in qua pendet pro intersignio flos lilii, cugnum vici des Marivaulx facienti, et, ex alia parte, domui du Barillet.

CCCLXIV.

4 mai. 1481. Universis presentes litteras inspecturis, decanus et capitulum ecclesie Parisiensis, ad Romanam ecclesiam nullo medio pertinentis, salutem in Domino. Notum facimus quod, pluries nobis more solito capitulariter congregatis, magister Eustacius Juvenalis de Ursinis, vicedominus et canonicus ecclesie Remensis et concanonicus noster, nepos et alter executorum testamenti seu ultime voluntatis bone memorie defuncti domini Johannis Juvenalis de Ursinis, dum viveret archiepiscopi et ducis Remensis, primi paris Francie, et executorio nomine nec non procurator et nomine procuratorio reverendi in Christo patris domini Ludovici[1], episcopi Trecensis, eciam dictorum executorum alterius, sui procuratorii fidem faciens per literas sub sigillo prepositure Parisiensis confectas, vicesima sexta die mensis augusti, anno Domini millesimo septuagesimo tercio, nobis exposuit : Quod dictus defunctus dominus Johannes Juvenalis de Ursinis in suo testamento clausulam quandam inseruerat, cujus tenor sequitur : « Verum quia soror mea Johanna, que quondam fuit conjuncta in matrimonio cum magistro Nicolao Leschalart, in suo testamento michi dedit unum diamentum magni precii, ut pro ea orarem, et hoc adimplevi secundum posse, volo quod vendatur plus offerenti; et si unus nepotum meorum velit habere pro precio racionabili, sum contentus; et quod de precio fundatur unum anniversarium pro me et sorore mea, et, si aliquod residuum maneat, ponatur in augmentacione capelle domini genitoris mei et matris in ecclesia Nostre Domine Parisiensis. » Et quod dicti testamenti defunctus ipse nominaverat executores memoratum dominum Ludovicum, epi-

[1] Ludovicus I Raguier, episcopus Trecensis ab a. 1450 ad a. 1488.

scopum Trecensem, ipsum Eustacium nec non Johannem et Jacobum Juvenalis de Ursinis, nepotes suos, officiales et sigilliferum suos, Johannem Chardon, ballivum suum, et Guillermum Coquillart, procuratorem suum; volens expresse quod duo vel tres dictorum executorum possent ad executionem dicti testamenti procedere, dummodo unus dictorum nepotum suorum esset presens, sicuti per dicti testamenti literas autenticas, sigillo curie Remensis sigillatas, datas anno Domini millesimo quadringentesimo septuagesimo secundo, die decima octava mensis septembris, quas vidimus et legimus, nobis legitime constitit atque constat; dicens ulterius ipse magister Eustacius, quod, cum prelibatum diamentum multis probis viris, gemmas et lapides preciosas emere et vendere solitis, necnon aliis valoris hujusmodi rerum noticiam habentibus, multociens ostendisset, neminem invenerat qui illud majore precio quam summa quater centum scutorum auri bone monete currentis, eorum quolibet valente viginti quinque solidos et octo denarios Parisienses, emere voluisset; quodque dictum diamentum pro dicto precio paratus erat accipere. Cujus precii dimidiam partem, scilicet ducenta scuta auri idem Eustacius obtulit nobis tradere et solvere, pro exponendo in reparaciones domorum, villarum et aliarum rerum immobilium ecclesie nostre spectancium aut alias ad utilitatem et commodum ipsius ecclesie nostre, dum tamen ob remedium et salutem animarum ipsius defuncti domini Johannis et Johanne, sororis ejus, unum solenne anniversarium in choro dicte ecclesie nostre singulis annis, perpetuis temporibus, ut solitum est, celebrare seu celebrari facere, et in eo anniversario, tam pro vigiliis et missa solennibus quam commendationibus, perpetuo singulis annis distribuere seu distribui facere more solito decem libras Parisienses, nosque et ipsam nostram ecclesiam ad hoc obligare vellemus. Alteram autem dimidiam partem, videlicet reliqua ducenta scuta auri, obtulit prefatus Eustacius expendere in augmentacionem capelle defunctorum domini genitoris et domine genitricis predicti defuncti domini Johannis, quondam archiepiscopi Remensis, quocienscunque inter nos et ipsum Eustacium suosque executores concordatum erit que, qualis et quanta augmentacio sit in predicta capella facienda; postulans uti aliquos nostrum committere vellemus, ad cum ipso Eustacio suisque coexecutoribus de dicta aug-

mentacione tractandum, et que, qualis quantaque fieri debeat concludendum.

Capitulum Parisiense omnia a dicto Eustacio superius proposita accipit, et anniversarium distributionemque supradicta se facturum esse promittit.

.... Datum et actum Parisius, in capitulo nostro, anno Domini millesimo quadringentesimo octuagesimo primo, quarta die mensis maii.

SERIES

EPISCOPORUM, ARCHIEPISCOPORUM ET DECANORUM PARISIENSIUM.

EPISCOPI.

1. S. Dionysius.
2. Mallo.
3. Massus.
4. Marcus.
5. Adventus.
6. Victorinus, 346-347.
7. Paulus, 360.
8. Prudentius, 400.
9. S. Marcellus, def. 1 nov. 436.
10. Vivianus.
11. Felix.
12. Flavianus.
13. Ursicinus.
14. Apedemius sive Apedinius vel Apedianus.
15. Heraclius, 511-523.
16. Probatus.
17. Amelius, 533-541.
18. Saffaracus, 549.
19. Eusebius I, def. 555.
20. S. Germanus, 555-28 mai. 576.
21. Ragnemodus, 576-591.
22. Eusebius II.
23. Faramundus.
24. Simplicius, 601.
25. S. Ceraunius vel Ceraunus, 614.
26. Leudebertus, 625.
27. Audobertus, 638-644.
28. S. Landericus, 635.
29. Chrodobertus, 658 vel 659-663.
30. Sigobaudus, 664.
31. Importunus, 666.
32. S. Agilbertus, 668-circ. 680.
33. Sigofridus, 691-circ. 693.
34. Turnoaldus, circ. 693-circ. 716.
35. Adulfus.
36. Bernecharius.
37. S. Hugo, def. 8 apr. 730.
38. Merseidus.
39. Fedolius.
40. Ragnecaptus.
41. Madalbertus.
42. Deodefridus, 757-767.
43. Erchenradus I, 775-794.
44. Ermenfridus, 809.
45. Inchadus, 811-circ. 832.
46. Erchenradus II, 832-9 mai. 856.
47. Æneas, 856 seu 857-27 dec. 870.
48. Ingelwinus, 871-883.
49. Gauzlenus, 883-mai. 886.
50. Anschericus, 886-911.
51. Theodulfus, 911-24 apr. 921 seu 922.
52. Fulradus, 922-926 seu 927.
53. Adelelmus, 927.
54. Galterus I, circ. 930-circ. 941.
55. Albericus.
56. Constantius, 954.
57. Garinus.
58. Reginaldus I, circ. 979.
59. Elisiardus seu Lisiernus, circ. 982-circ. 989.
60. Gilbertus, 991.
61. Reginaldus II de Vendocino, 992-1016.
62. Ascelinus seu Albertus de Truncino, 1016-circ. 1019.
63. Franco, circ. 1020-25 jul. 1030.
64. Imbertus de Vergeio, 1030-22 nov. 1060.

65. Gaufridus de Bolonia, 1061-1 mai. 1095.
66. Guillelmus I de Monte Forti, 1095-27 aug. 1102.
67. Fulco I, 1103-8 apr. 1104.
68. Galo, 1104-23 febr. 1116.
69. Girbertus, 1116-25 jan. 1124.
70. Stephanus I de Silvanectis, 1124-circ. 1142.
71. Theobaldus, 1143-1157.
72. Petrus I Lombardi[1], 1159-20 jul. 1160.
73. Mauricius de Solliaco, 1160-11 sept. 1196.
74. Odo de Solliaco, 1197-13 jul. 1208.
75. Petrus II de Nemosio, 1208-1219.
76. Guillelmus II de Seignelay, 26 febr. 1220-23 nov. 1223.
77. Bartholomæus, 1224-20 oct. 1227.
78. Guillelmus III Arvernus, 1228-31 mart. 1248.
79. Galterus II de Castro Theodorici, jun. 1249-sept. 1249.
80. Reginaldus III de Corbolio, 1250-6 jun. 1268.
81. Stephanus II Tempier, 1268-3 sept. 1279.
82. Ranulfus de Hombloneria, 1280-12 nov. 1288.
83. Simon Matifas de Buciaco, 1289-22 jun. 1304.
84. Guillelmus IV de Baufeto de Aureliaco, 17 jan. 1305-30 dec. 1320.
85. Stephanus III de Borrecto, 1321-24 nov. 1325.
86. Hugo II de Vesuntione, 19 jan. 1326-29 jul. 1332.
